



IO · STEPH · WISGA · D · G
PRIMA

Decades posteriores postuma sequun-
tur cum philosophicis libris in 8vo for-
& cum ea [illegible] Commentario Physico
Matthaei Flacii de vita & morte
Nro XXVI.

Confer cum histor. Nicolai Machiavelli Histo-
riarum libros tres in 8vo cum C [illegible]
[illegible] [illegible] Historico-Politica [illegible]

# OBSERVATIONUM HISTORICO-POLITICARUM

Decades sex posteriores

MICHAELIS PICCARTI FR.
PROFESSORIS NORICI.




AMBERGÆ,
E Typographeo Forsteriano.
M. DC. XVI.

GENERO

D. BA
A PU

EQ. SIL
SIMO
AMIC



nerose & N
fatum id fu
ausus: Eter
& acceptæ
putarem,
num gauc
apud me V
ximi, perg
re, & quæ
promeren




GENEROSO NOBILISSIMOQ;
JUVENI.

# D. BALTHASARI A PUSCH IN Groß-schweyn/ &c. &c.

EQ. SILESIO SPLENDIDISSIMO D. HOSPITI ET AMICO HONORATISSIMO.

S. P. D.



QVas ego, ante hoc biennium, in publicum emisi Observationũ Historico-Politicarum Decades Generose & Nobilissime juvenis, earum fatum id fuit, quod sperarę ego vix sum ausus: Etenim exceptæ ita sunt passim & acceptæ, ut præclarè mecum actum putarem, & rem benè cessisse intra sinum gauderem. Cum ecce instant apud me Viri omnium Ordinum maximi, pergerem in hoc stadio decurrere, & quæ præterea lecta mihi ac notata promerem, quæ si non omnia pari

 percu-

percuſa eſſent moneta, tamen aliqua fore, quæ in publicum proſint & nomen mihi ædificent. Horum ego monitis, vel ſuperbè refragari, vel ſubruſticè me ſubtrahere nequaquam volui, ſed quæ videbantur legi etiam poſt illa poſſe, congeſſi, cum per alia negotia licuit, & in ſex alias Decades diſpertitus ſum.

Quibus cum pro more Patronus aliquis circumſpiciendus eſſet, non diu ille mihi, aut foris quærendus fuit, cum domi haberem, cui & omnibus de cauſſis patrocinium hoc deferre vellem, & verò etiam deberem: Te, nimirum, Nobiliſſime D. BALTHASAR A PUSCH: Sileſiacæ Nobilitatis ocelle & Generoſæ familiæ tuæ melior ſanguis. Vellem; quia Tu is es, qui hæc talia & capiat & æſtimet: Tu videlicet ille es, qui perdius ac pernox in Hiſtoriis ac deductis inde Reipublicæ regendæ præceptis, unde hæc noſtra hauſimus, habitas, qui in ſuccum & ſanguinem ea vertis, & Patriæ proinde omnia præclara ac ſalutaria minaris. Tu ille

es,

es, qui convicium facis exemplo, vitâ & moribus, pleræq; tui Ordinis juventuti; quæ, & consuetudine sequioris hujus seculi, & malè quorundam feriatorum hominum voculis, tamquam pestilenti aliquo sidere afflata, tantum non ignominiosum sibi putat, literas tractare, versare libros, aures accommodare Doctis, haurire ex veterum scribtis salutaria Reip: præcepta, discere & sectari virtutum præmia, vitiorũ infamiam & nosse & cavere. At verò choreas peregrinis modis cum puellis agere, torquere latera, sinuare femina & Ionicos aut Sybariticos ludere gestus: Equum insilire, in gyrum agere, virgulâ ad arbitrium flectere, gladium vibrare, quâ cæsim, quâ punctim ferire hostem scire, aliena linguâ in alieno solo uti nosse, hoc hodiè videlicet est nobilem esse. Quod, ut libenter illis largior, qui ita sentiunt, ita vicissim dari mihi ab illis peto: literas nescire, Historias ignorare, in veterum & recentiorum de Republicâ scribtis hospitem esse, id verò nobilem minimè

 esse.

l. 14. Hist. esse. Mecum sanè Ammianus Marcellinus sentit, qui cum de Orphito loquitur, Vir, inquit, prudens erat & forēsium negociorum oppidò gnarus, sed splendore liberalium artium & doctrinarum minus, quam nobilem decuerat, institutus. Tu porrò ille quoq; es, qui, cum Nobilissimis totius Silesiæ tuæ gentibus PUSCHIA & ZEDLICIA, quarum decantatissimam pace belloque gloriam & tot avorum atavorumque virtutem, quâ patet, humanior Orbis gratâ mente deprædicat & extollit: natus sis, ita tamen animatus es, ut quam mînimum majoribus tuis debere velis, plurimùm tibi: memor videlicet illius, quod Johannes Alexandrinus olim generosè admodum pronunciavit, Veram genuinamq; Nobilitatem non ex sanguine aut carne sed ex animi virtute formam accipere & Characterem: ut & ejus, quod Philostratus dictat: τὸ καταφεύγειν ἐς τοὺς ἄνω ἀποβεβληκότων εἶναι τὸν ἐφ' ἑαυτὸν ἔπαινον: Ad majorum gloriam confugere eorum esse, qui vel laudis suæ decoctores fuerint,

ap. Baron § Tom. Annal. 8. p. 620.

in Dionysio.

rint,

rint, vel eam desperēt. In quo laudabili instituto te magis magisq; confirmant, & currenti calcar addunt Gentiles & adgnati tui Nobilissimi, è quibus honoris & observantiæ caussa nominare hic lubet Magnificos Dyhrenios: D. CHRISTOPHORUM in Streitelsdorff Judicii Regii in Silesiâ Adsessorem Amplissimum, solidæ prudentiæ atq; Eruditionis omnivariæ Exemplar absolutissimum: & D. JOHANNEM in Kölnichen & Sabor, qui, ut ad omnem virtutem atque Doctrinam proficiendo parum fratri Patrueli concedere umquam voluit, ita cum Homerico Ulysse voluit omninò etiam

*Multorum mores populorum cernere & urbes*

immortali suâ cum laude & suavissimâ recordatione, quamdiu vixerit, in quorum favore & veteri consuetudine saepe me trium fare audivisti, neq; dum de eorum præclarâ ergâ me voluntate, te quoq; judice, dubitare debeo. Quorum Exempla si, quod facis, in oculis & animo perpetuò habueris: nihil

unquam, niſi quod generoſum, quod præclarum, quod cum æterna tuâ gloriâ conjunctum ſit, abs te fiet, aut nos factum cognoſcemus. Inſiſte modò, florentiſſime juvenis, hunc inſolentem quidem hodiè multis, ſed honoratiſſimum tamē callem, quem præeundo facilem tibi reddidere tot majores tui, quâ paternæ, quâ maternę proſapiæ, quorum|veſtigia tu premis jam, & ad calcem conſiſtere vides non paucos omnibus Virtutum redhoſtimentis & præmiis venerabiles & inſignes, qui ad eamdem gloriam intenti manum porrigunt: nec patere te â fece hujus ſeculi ad humilia illa ac brutarū Voluptatum declivia retrahi aut revocari, cave numero movearis, ſcis enim illud Sapientis Romani: non ita bene agi cum hominibus, ut meliora pluribus placeant. Quod te ſtudiosè facturum & tui ſemper ſimilem futurū confirmat mihi amuſſitata tua indoles & maturum percoctumque ab exquiſitiſſimæ diſciplinæ ſole, in hoc ævi vere, judicium, ꝙ tibi generoſos

illos

illos Cornelii Nepotis versus inculcat:

*Mento canescant alii, nos mente: capillo,*
*Nos animo: facie, nos pectore: Tempora certè*
*Virtutem non prima negant, non ultima donant.*

eo effectu, ut jam in te illud Silii Italici quadret, quod de Pisone canit:

*Ore puer, pulcerq́ habitum, sed corde sagaci*
*Æquabat senium atq́ animo superaverat annos.*

Vitam tibi modò benignissimus Deus proroget, & vinces atq; superabis non teipsum modò, sed & spes cogitationesque nostras & omnia præclara, quæ nobis de te spondemus. Atq; hæ fuêre caussæ, cur vellem hujus laboris mei patrocinium tibi, Nobilissime Puschi, deferre.

Non fuêre leviores, cur deberem. Cum enim Tu primum in Academiâ nostra pedem poneres, quod factum ante biennium, in quam & Optimi beatissimiq; D. Parentis Tui volunta-

te, & prudentiſſimorum Gentilium tuorum, qui loci dotes noverant, conſilio veneras: & convictu ſtatim meo, & poſtea contubernio quoq; uti voluiſti, quo toto tempore eum Te & mihi & familiæ meæ & conſalaneis tuis Generoſis, Nobiliſſimis, Doctiſſimis Ornatiſſimiſq; exhibuiſti, ut & honori & voluptati & exemplo omnibus eſſes: Nam & mores ad humanitatem & comitatem omnem compoſiti, & facundia omni lepôrum genere perfuſa, & vita deniq; tota Exemplaris ita nos in admirationem tui rapuerũt, ut omnibus officiis omnes tibi devinctiſſimi eſſemus.

Debui igitur & publicè tibi teſtimonium Virtutis & privatim mei erga te ſtudii & obſervantiæ indiciũ. Utrumque ſimul exſequi mihi ſic videor, quamquam minus pro voluntate: neque enim laudes tuas una capit præliminaris Epiſtola, cui commendando liber etiam impendi poſſit, neque ego ſatis facundus aut diſertus animi mei ſum adverſus Te interpres. Tu

Splen-

Splendidiſſime Juvenis ex his paucis intelliges credo ſatis, cauſas mihi fuiſſe graves, cur etiam hoc patrocinii & tutelæ onus Tibi imponere debuerim. Quod ſi id in te ſuſcipere non dedignatus fueris: habebo quod mihi gratuler, ad amorẽ autem atq; obſervantiã Tui magnum Tu adjicies incrementũ, in quâ omni occaſione publicè privatimq; declaranda & profitẽda ego quoque operæ nõ parcam meæ, cui ſuffragabitur perpetuò præclara tua indoles, quæ adoleſcentis aut adultæ potius ſuę virtutis indies illuſtriora proferet ſpecimina, fæcundam laudum tuarũ materiam, quæ vel elinguẽ faciat eloquẽtem, ea ſpecimina confirmabunt etiã ſpem de te noſtram: BONO videlicet REIP. TE NATUM, in quo glorioſo tibi omine lubẽs hîc lœtuſq; ſiſto, Teque vivere & valere opto. Altorfio è Muſeo, Menſe Majo Anni cIↄ Iↄ C XVI.

*Tuæ Generoſæ Indoli omni obſequii genere devinctiſſimus*

*Michaël Piccartus Fr. Profeſſor Noricus.*






## AD CL: VIRVM D.

## MICHAELEM PICCARTUM ACAD. ALTORFINÆ PROFESSOREM PHILOSOPHUM.

*Vivendi rectè nobis ἐντάλματα dictat*
*A summo prognata Jove, ut finxere Poëtæ,*
*Diva potens* SOPHIE, *peperit quam casta Minerva.*
*Hanc tu rite equidem coluisti, magne vir, annis*
*Non paucis magnum columen, Piccarte, Lycei.*
*Verum non satis hoc fuerat. Divam addere visum*
*Natam Mnemosynes nobis ἐνδάλματα rerum*
*Gestarum rectè quæ suppetit exemplorumq;*
*Innumerum numerum Virtutis, item vitiorum*
*Hæc fugere ut discat, sectari studet ut illam,*
*Qui cupit optatam cursu contingere metam.*
*Multum exempla movent animos in utrumq; paratos.*

Lub. meritoq; ludebat
Georgius Remus JC.
& Consiliarius Noricus Kal. Martj Norimbergæ.



# AD EUMDEM.

*SEu te per* SOPHIÆ *spatiosos traxerit ardor*
*Ingenii campos, nil nisi mella legis.*
*Sive per Historiarum hortos & amœna vireta,*
PICCARTE, *ingrederis, nil nisi mella legis.*
*Sive libet laticis fœcundo è gurgite Carmen*
*Fundere Castalii, nil nisi mella fluunt.*
*Nil nisi mella fluunt dicentis ab ore diserto,*
*Scribenti, è calamo nil nisi mella fluunt.*
*Nil nisi mella fluunt, dulci sed & utile mistum est*
*Vitaq; librorum lætus adest genius.*
*Adsunt cuncta tibi, quæ donant secula chartis:*
*Qui neget æternas, nil sapit ille, tuas.*

Thomas Segethus
Eq. Britannus.



# AD EUMDEM.

Historia est tuba, quâ vitæ revocantur in auras,
Qui sua Letheis capita occuluere sub umbris.
Hi facienda docent fugiendaq; imagine vivâ,
Dulcius & melius Chrysippo & Crantore. Sed qui
Exemplis memoranda addat præcepta Sophorum,
Perfectum procudet opus: ceu navita tutus
Gaudet, ubi duplex firmaverit anchora navim.
Jam, PICCARTE, vides Museô teste Senatu,
Quam super egregiâ moliris laude laborem,
Nil addam. Solida artifici laus surgit ab arte.

Caspar Dornavius Phil: & Medicinæ D. Illustris Gymnas: Görlicensis Rector.

## *Ad Cl. V.*
## M. MICHAELEM PICCARTUM
Philosophiæ Professorem præstantissimum.

*Chrysippi laqueos, telasq; retexere doctus,*
*Quas vafer argutâ conserit arte Sophus;*
*Et catus abstrusos Naturæ in lumina mores*
*E puteo, aut antiquo exsinuare chao,*
PICCARTUS *nevult nudæ uni vendere curæ*
*Multipatens variis cultibus ingenium.*
*Protulit in lepidi gressûs Heliconis opacum,*
*Et Geminæ Pithûs imbuit ora labro.*
*Furanima strictas decet hinc facundia vires:*
*Sic spina Idaliis pollet honora rosis.*
*Musæ, festivo quantum arridebitis antro!*
*Blandior Aonium perfluet aura nemus!*
*Cùm* Flacci *è tenebris recidivo insigne decôre*
*Nescia per Phœbi sacra reponet epos.*
*Nunc, dum sic Juveni calor & color instauratur:*
*Pulcra ex Historico digerit orsa penu.*
Ennius *Euphorbum, se somni & esse tricordem;*
*Quòd triplices alio didit in ore sonos,*
*At tu, quem immigrât tot copia Doctrinarum,*
*Somnia quem te dant, pectora vel quot habes?*

Heidelbergæ
Janus Gebhardus Idibus
Maii cIↃ.IↃC. XVI.

INDEX

# INDEX

## CAPITUM POSTERIORUM SEX Decadum Obſervationum Hiſtorico-Politicarum.

### DECADIS SEPTIMÆ.



### DECADIS IIX.



Dumno-

Dumnorix magna apud plebem propter liberalitatem gratiâ. CAP. III.

Dumnorix complures annos portoria vectigalia parvo pretio redemta habebat, propterea, quod illo licente contrà liceri audebat nemo. CAP. IV.

Idem magnum numerum Equitatus alebat & circum se habebat. CAP. V.

Oderat etiam suo nomine Cæsarem & Romanos, quod eorum adventu potentia ejus deminuta & Divitiacus frater in antiquum gratiæ & honoris locum esset restitutus. CAP. VI.

Si quid accidat Romanis, summam in spem regni veniebat, per Helvetios obtinendi: imperio populi Romani non modo de regno, sed etiam de eâ, quam habebat, gratiâ desperabat. CAP. VII.

Libri & monumenta, & res gestæ mortuorum majori sunt in pretio, quam superstitum & vivorum. CAP. IIX.

Sterilitatem sive abortus veneficiis procuratos impios esse, & nullo jure vel quæsito colorari posse. CAP. IX.

Calumniæ fœditas ejusq; pœnæ notabiles & rariores. CAP. X.

## Decadis IX.

Matrimonia inter inæquales personas contrahi non debere. CAP. I.

Clades magnorum virorum facilè misericordiam aliorum, etiam hostium excitant. CAP. II.

Strategemata quædam, per quæ deteguntur ea quæ vel ingrata sunt auditu, vel etiam minus tuta relatu. CAP. III.

Per quæ quis peccat, per eadem puniri solet. CAP. IV.

## DECADIS X.



Jura

## DECADIS XI.



## DECADIS XII.



DECA-



# DECADIS SEPTIMÆ OBSERVATIONUM HISTORICO-POLITICARUM.

## CAPUT I.

*Academias earumque Rectores & Doctores olim in magnâ dignatione etiã apud summos Principes fuisse, convicio hujus nostri seculi.*



INeptus forte videbor aliquibus, qui Academiarum dignitatem adserere occipiam, cùm publicè constet, quibus privilegiis olim â summis Principibus & Imperatoribus donatæ sint Optimi publici caussâ, cumq; illæ hodièque passim floreant & ab iisdem benignissimè foveantur. Quibus ego tantum hoc regero, optare me, uti diu ita sit, perennetq; hic honor Scholis apud Principes & dignitas, mihi hoc capite cum vulgo negotium erit, & malè feria-

feriatis quibuſdam hominibus, qui ipſis quoq; Principibus ſuadere non verentur, male & inutiliter ſumtum fieri in homines otioſos & ſibi viventes, rectius eum in milites impendi poſſe, quorum viribus nitantur & conſiſtant Regna, Principatus, Imperia, quibus occurrendum omnino, ne perſuadeant iis, quorum aures dicteriis hujuſmodi radunt. Non enim multi Leones hodiè Græci, qui id reſpondeant, quod ille cordatè Eunucho cuidam ſuo regeſſit invidenti Doctis oblata præmia, quæ rectius militibus tribui poſſent. *Apage verò inepte, cum militibus tuis, mihi unum hoc votum, uti omnia ſtipendia militum, ſalvo imperio & finibus ejuſdem, liceat in doctores artium impendere.* Pacem videlicet optabat Optimus Imperator, & Pacis artes doctos gubernaculis admoveri rerum, quidq; literarum ſtudia ſaluti publicæ conferrent, æquus æſtimator probe pervidebat. Senſit cum Leone hoc Græcanico D. Ludovicus quoque Gallorum Rex & Henricus Anglus, de quibus Paulus Æmylius in hæc verba: *Lutetiæ florebant liberalia ſtudia: juventutis concurſus undiq; illuc fiebat: Scholaſtici ſuorum nonnullos à civibus pulſatos conqueſti, alii in alia cæterarum Urbium Muſea conceſſere. Anglus propoſitâ ingentium præmiorum, honorum, vacationum, emolumentorum ſpe,*

in D. Ludovico.

*aliquot*

*aliquot eorum millia Oxonium elicuit. Solitudo exiliumque literis indictum Lutetiæ videbatur. Rex (Ludovicus) non minus decoris liberales artes, humaniora studia, sacram disciplinam, cultum ingeniorum Francis, quam arma afferre prædicans, egregiamq; consociationem fore, bellicarum rerum gloriâ cum divinarum humanarumque rerum cognitione doctrinâq; conjunctâ: regiæ Urbis cives ad officium colendosq; Doctores discipulosq; revocavit: suus ita rursus ingenuis artibus honor habitus.*

Vide sodes & mirare duorum potentissimorum Regum de Academiis & earum civibus judicia. Hodiè longe aliâ, quorum obstinatione fit, ut doctis præmiorum loco jacturæ & damna, loco honorum onera, loco vacationum asinini labores, loco emolumentorum fames & ignominiæ metus objiciatur. Quæ vero Optimus Rex de consociatione Armorum & literarum scribit ea concordare mihi videntur cum suavissimis illis Eumeni Rhetoris verbis: *Ædem Herculis Musarum in circo Flaminio Fulvius ille nobilior ex pecuniâ censoriâ fecit, non id modo secutus, quod ipse literis & summi Pöetæ (Enni) amicitiâ duceretur: sed, quod in Græciâ cum esset Imperator, acceperat Herculem Musagetem esse, hoc est comitem ducemq; Musarum, quia mutuis opibus & præmiis juvari ornariq; deberent:* in Oratione pro restaurandis Scholis.

*Musarum quies defensione Herculis, & Virtus Herculis voce Musarum.* Parem honorem Academicis habuit Philippus Imperator, si Helmoldo fides, qui nihil majestati suæ decedere putavit, etiamsi Scholares suos conscholasticos appellaret, non secus, atq; olim fortissimi Imperatores milites Commilitones appellarunt. Johannes 2. Ferdinandi Aragonum Regis filius, referente Lucio Marineo, eosdem socios & fratres itentidem inclamavit. Quo pertinent & honores â summis Principibus habiti Academicis Doctoribus, inter quos duo pręcipuè notabiles, auscultatio frequens & cessio velut Dignitatis. De Carolo IV. Cæsare Aneas Sylvius narrat: *Cum is Scholam Pragensem more suo ingressus disputantes artium liberalium Magistros in horas quatuor audivisset. idq; purpurati molestè ferrent, ac cœnæ tempus instare dicerent: Mihi, inquit, tempus est minimè: Nam cœna mea hæc est.* Ludovicum Galliæ Regem inter subsellia Jasonis sedisse legimus: etiam hoc q; cum ad Collegium perventum esset Rex Jasoni sinister adequitarit cum his verbis. *Nunc Jason incipit tuum regnū.* Maximilianus Imperator nominis ejus primus non modò Viennensem Academiam sed & Heidelbergensem suâ præsentiâ & auscultatione cohonestavit: qua de re legenda Academiæ gratu-

*Histor. Sclavon. lib. 7. c. 14.*

*p 875. Hist. Hispan.*

*lic. 4. Comm. in Panormit.*

gratulatio inter scribtores rerum Germanicarum, quos acceptos ferimus Nobilissimo Marquardo Frehero ICto Celeberrimo & Consiliario Electorali Palatino meritissimo, nuper Reip. literariæ cum irrecuperabili damno erepto. Non possum, quin addam illustrem & huic instituto facientem quam maximè locum Alvari Gomezi, ubi apud eum legere memini. *Anno*, inquit, *cIↄ Iↄ XIII. venit Ferdinandus Rex Complutum &, Ximenio latus claudente, magnâ totius populi literarii lœtitiâ exceptus, singulas Scholas diligenter perlustravit, & Professores studiosè audivit. Interea Rector Patribus Academiæ stipatus, cum è Collegio in Regis occursum progressus esset, præeuntes ejus sceptrigeros, quos vulgo Pedellos dicimus, Rabduchi Regii, qui & ipsi sceptra gerebant, conspicati voce intentiori, ut sceptra submittant aut deponant, inclamant: neq; enim fas esse, ut, præsente Rege, cuiquam subditorũ ejusmodi insignia præferrentur. At humanissimus Rex nihil eâ re majestatem suam imminui sentiens, ut solito more procedant, jubet, Musarum inquiens illas ædes esse, in quibus fas posceret, ut Musarum sacris initiati regnarent*: ubi addit Historicus: *Præclarissimo id sane exemplo factum fuit, non tamen summis Principibus inusitato. Nam & cum Magnus ille Pompejus universi pene Orbis Triumphator aliquando Athe-*

*lib. 4. de reb. gest. Francisci Ximenii Archiepisc. Toletani p. 97.*

*Plutarchus in eius vitâ.*

*nas venisset, atq; Possidonium Philosophum doctrinæ opinione eo tempore celebrem invisere instituisset, neq; enim evocari ad se passus fuit: fores de more à lictore percuti vetuit, & fasces januæ submisit, Sapientis hominis & eruditi reverentiâ.* Post reversus ad Historiam pergit: *Cum gratias Ximenius Ferdinando Regi ageret pro tam humanâ erga Scholam suam comitate honorificentiæ & splendoris plenâ, Rector ad Regis genua jam procumbens, manus osculandas suppliciter petebat, & libenter à Rege exceptus, occasionem Rectorem suum honorandi Ximenius nactus, sic Regem compellasse fertur, Ni tibi, ô Rex, molestum est futurum, edifferat Rector in tua præsentiâ, quæ me absente in Academiâ gesta sunt, & tibi breviter studiorum seriem ostendat, omnemq; aliam hujus suæ Reipub. rationem: mihi enim in res diversas & multas distracto, minus ad id præstandum facultatis & memoriæ est. Placuit id Regi humanissimo, sicut & illud, ut Rector medius inter ipsos incederet: sic enim melius, quæ ille referret, utrumque intellecturum:* ô stupendam tot regnorum Principis humanitatem cum immortali Rectorum Academicorum gloriâ conjunctam. Franciscus quoque I. Gallus quamquam captivus in Hispaniâ viveret, tamen Complutensem Academiam visitare & commendare voluit, cujus gravissima verba recitat idem

idem scriptor Hispanus: *cum*, inquit, *Franciscum Rector & literarii Patres per omnes Scholas circumduxissent, postquam attento & cōsideranti animo cūcta tacitus perlustrasset, rem, inquit, Ximenius vester animo concepit, eamq;, ut video, absolvit, quam ego aggredi neutiquam ausus fuissem, veritus ne conanti effectus tantæ rei non succederet. Nam Parisiensis Scholæ, quâ mea Gallia jure gloriatur, opus Regum multorum est.* Eant nunc fumosi quidam nobiles & porrò nobis occinant, infamari nobilitatem suam literis aut professionibus Academicis & boves se esse non homines ab Alphonso Arragonio audient: Quod si durũ nimis illud videtur, Diocletianũ sive Constantiũ tamen Imperatorem audiant hæc ad Eumenium Sacræ memoriæ Magistrũ scribentem: *Salvo privilegio dignitatis tuæ hortamur, ut Professionem Oratoriam recipias & ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes, nec putes hoc munere ante-partis aliquid tuis honoribus derogari: cum honesta Professio ornet potius omnem, quam destruat dignitatem.* Concludam caput Eleganti narratione Dubravii de Sigismundo Imperatore: *Quantum*, inquit, *honorem doctis habuerit, vel uno hoc exemplo clarè liquet: Habuit in aulâ suâ Jureconsultum Georgium cognomine* Fiscelli-

lib. 3. extr. pag. 98.

lib. 25 Hist. Bohem. p. 209.

*Fiſcellinum, quem paullo ante ad Ordinem Equeſtrem provexerat, eumdemq; militem, ut vocant, auratum fecerat. Is cæteris, ut in conſilio fit, in partes, deliberandi cauſsâ, per ordinem quiſq; ſuum, diſcedentibus, & ipſe diſceſſurus anceps hærebat: ad Doctores ne Juriſconſultos, an ad Equeſtrem Ordinem diſcederet; ad Equites poſtremo velut honorificentiores ſe contulit. Quod intuens Sigiſmundus: Na tu, inquit, Georgi, nimis ridiculus es, qui militiam literis anteponis, cum ſcias ex idiotis me vel ſexcentos Equites una die creare poſſe; at ex eodem genere ne unum quidem Doctorem.* Deſcendant in ſe, qui ut Nobiles ſeſe doceant Doctoratum ſive Magiſterium magnâ Eruditionis laude partum abjurant, & infamia ſe affici putant, ſi titulis honorum illorum ſalutentur. Cordatiores his Itali, apud quos literæ negotium ſunt Illuſtriſſimorum hominum, ignobilibus eorũ cognitio invidetur, quæ ſententia Ammiani quoque Marcellini fuit, quâ de
Lib. 14. Orphito: *Erat*, inquit, *Orphitus vir prudens & forenſium negotiorum oppidò gnarus, ſed ſplendore liberalium doctrinarum minus, quam nobilem decuerat, inſtitutus.* Rurſum lib. 16. de Eunucho ignobili ita pronunciat: *Eutherius*, inquit, *literis, quantum tali fortunæ ſatis eſſe poterat, eruditus.* Nobiles literarum cognitione decorari magis cenſens, quam

ignobiles

ignobiles ignorantiâ earum dedecorentur. Summa literæ miseros beant, beatos ornant, pauperes ditant, divites illustrant, obscuros nobilitant, nobiles commendant.



# CAPUT II.

## *Vinum tormentorum exquisitissimum esse.*

QUi Liberum Patrem ex eo Liberum dictum voluere, quod bibentes liberi oris faciat, cum vero potius sensisse mihi videntur, quam cum Grammaticorum observationibus: Qui enim vino liberius se invitarunt, eos, ut Horatl versibus utar:

*Statim subsequitur cœcus amor sui,* Od. 18, lib. 1.
*Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem*
*Arcaniq; fides prodiga, perlucidior vitro.*

Unde vetus Græcorum Verbum originem traxit: τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος ἐπὶ τῆς γλώσσης εἶναι τοῦ μεθύοντος: Quod in corde sobrii, id in linguâ natare Ebrii: qua caussâ Vinum speculum Alcæo dictum, in quo mores hominum cognoscere & velut animum intueri liceat. Et eleganter Seneca: *Quemadmodum* Ep. 83.

*dum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejectat: sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium, oneratiq; mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante: ita ne secretum quidem, quod suum, alienumq; est, pariter effundunt.* Rationem

*in Nemeis* Pindarus reddit: Θαρσαλέα, inquit, παρὰ κρητῆρα φωνὰ γίνεται. Audax ad poculum vox fit: & alius: Vinum clavo caret, ideoq; ebrii linguam habent vagam & liberam καὶ εἰς τὸν νοῦν οὐ βεβαπτισμένην, quæque suadeat illis & loqui & efferre id, ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον,

*Iliud.* ut Homerus ait; Hinc Ebrietas notante

*in Corynthiacis.* Pausania olim γέγραπται ἐξ ὑαλίνης φιάλης πίνουσα picta est ex poculo vitreo bibens, quod, ut vitrum, sic & animi ebriorum perspicui esse videantur. Observatum hoc Theognidi, cujus suavissimos versus non possum non apponere: Ita autem canit:

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδειες ἄνδρες
Γιγνώσκουσ': ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον,
Καὶ μάλαπερ πινυτοῦ τὸν ὑπὲρ μέτρον ἤρετο πίνων.
Ὥστε καταισχῦναι καὶ πρὶν ἐόντα σοφόν.

*Hoc est: In igne quidem homines periti aurum & argentum explorant & spectant, hominis autem mens vina perspicitur quantumvis prudentis, si supra*

*si supra modum id biberit, sic ut qui ante sapientiæ laude florebat, vino immoderatius sumto dedecore afficiatur.*

Cœterum quia teste omnis elegantiæ Arbitro: *Petron. Arbiter in Satyrico.*

*Vel citius flammas mortales ore tenebunt*
*Quam secreta tegant*

tum vel maximè vinum ea protrudit & promovet, ut loquitur Horatius cum canit.

*Simul calentis inverecundus DEUS* *Od. Epist. XI.*
*Fervidiore mero*
*Arcana promorat loco.*

Unde eidem lene tormentum alibi dicitur, ita enim vini amphoram alloquitur:

*Tu lene tormentum ingenio admoves* *Od. 21. lib. 3.*
*Plerumq; duro: tu sapientium*
*Curas & arcanum jocoso*
*Consilium retegis Lyæo.*

Et hoc tormento uti ait Reges:

*Reges dicuntur multis urgere culullis* *in Arte ad Pisones.*
*Et torquere mero, quem perspexisse laborant,*
*An sit Amicitiâ dignus.*

Neque solum hoc fine, sed ut eliciant arcana, quæ â sobriis premuntur, in quam rem eleganter D. Ambrosius de Eliâ & Jejunio lib. *Pleriq; vino utuntur, ut eculeo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriæ statum, salutem civium, defen-* *c. 17.*

lib.1. de LL. extremo. *defensionis suæ prodant consilia.* At quod Horatius lene tormentum appellat id â Platone accepit, *qui minimo sumtu fieri & penè ludo ac joco & velut aliud agendo ait, cum vino pertentatur animus.* Usus est hoc tormento cum effectu M. Crassus, qui cum Mysis devictis adversum Bastarnas quoq; tenderet, missis hi legatis ne se adeo insequeretur petiverunt, neq; enim ulla abs se injuriâ Romanos adfectos: Ille verò Legatos retentos, tamquam postridiè respõsurus, vino invitavit comiterq; habuit, gnarus Scythicam nationem omnem vino capi, immoderatoq; ejus usu gaudere, eâq; comitate omnia eorum consilia perdidicit & expiscatus est. Usus & Aurelianus Imp. ut conjicere est ex Firmo Vopisci: Ita enim ille de Firmo. *Fuit ei contentio cum Aureliani Ducibus ad bibendum, si quando eum tentare voluisset.* Usus deniq; Bonosus de quo idem Vopiscus: *Bonosus bibit quantum inter Homines nemo: Si quando Legati Barbarorum undecumq; gentium venissent, ipsis propinabat, ut eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognosceret: ipse quantum libet bibisset, semper securus & sobrius, &, ut Onesimus dicit, adhuc in vino prudentior.* Caveant ergò sibi Legati Principum apud Exteros ab hoc tormento, Commissumq; vino torti tegant ex Præcepto Lyrici: idq; tanto studiosius

Dio. lib. 51.

lib. 1. Epist. 1. ad Lollium.

diosius

dio ſius, quantò difficilius eſt facere: De Ze- *In eius vitâ.*
none Diogenes Laertius refert, eum, Athenis in convivio cum Legatis Regiis conſtitutum, cum diu ſiluiſſet, monitum tamdem â Legatis, proderet & eloqueretur, quid Regi de ſe referri vellet; reſpondiſſeq; illum: *Aliud nihil referrent, quam eſſe ſenem Athenis, qui inter pocula tacere poſſit.* Cum quo & Bias ſenſit, qui cum ſtultus appellaretur ab aſſidentibus quod ſolus in convivio tacuiſſet: Καὶ τίς ἂν, reſpondit, δύναιτο μωρὸς ὢν, ἐν οἴνῳ σιωπᾶν; *Et quis,* inquit, *ſtultus ſimul ſit & inter pocula tacere poſſit?* Ideo *Plutarch. in Apophth.*
prudenter Archidamas accuſanti Rhetorem quendam, quod admiſſus ad convivium nihil locutus eſſet, reſpondit, *An tu ignoras? eum qui dicendi peritus ſit, dicendi quoque tempus noſſe?* innuens, in convivio dicendi tempus non eſſe, quod & Chiloni notatum apud Laertium qui jubebat τῆς γλώττης κρατεῖν καὶ μάλιστα ἐν συμποσίῳ.



## CAPUT III.

### *Feminas etiam lene tormentum esse, & idem quod vinum posse.*

QUæ de Vino superiori capite diximus, ea omnia quadrāt in feminam quoq; , quæ & ipsa extorquet, quidquid imo latet pectore. Itaq; & ab his non minus quam â vino cavendum, neq; illis secreta revelanda. *Fœmina*, inquit Portius Latro apud Senecā, *id tantum tacere potest quod nescit.* Unde apud JCtos fœminæ inter alias causas feudi capaces non sunt etiā ideo, quia arcana tacere nō possunt, quod tamen poscit fidelitatis juramentum. Item in testamēto testes esse nequeunt, quia interest testatoris ꝑ se disposita eo vivente non propalari, ut ex l. si quis § sed etsi ff. ad L. Aquil. notavit Tib. Decianus in Tract. criminal. l. 7. c. 17. n. 43. Garrulitatem porrò hanc muliebrem testantur Exempla Historiæ quâ sacræ, quâ Prophanæ atque ex his quædam lubet huc conferre. Amphiaraus Oeclei & Hypermestræ filius, cum sciret, si ad Thebas oppugnatum iret, se inde non rediturum, occultavit se domi suæ solâ uxore Eriphilæ latebrarum

tebrarum conſciâ, ea verò accepto ab Adraſto fratre ſuo monili aureo gemmis diſtincto maritum prodidit, ut præter Mythologicos Homerus quoque prodidit. Apud Juſtinum Comani Regis cognata inſidias Maſſilienſibus ſtructas, juveni Græco in amplexu aperuit, & periculum ſic in cognatum vertit. Cum Magi Perſarum regnum ſcelere & dolo ad ſe traxiſſent, Smerdiſque Cyri filium, Cambyſis fratrem ſe mentiretur, ubi res ſuſpecta Perſis eſſe cepit: Otanes Procerum unus, ut verum cognoſceret, Phædima filiâ, quæ inter pellices regias eſſet, uti voluit: miſſo itaque clam nuncio exquiri juſſit, quo cum homine cubare ſoleret, Cyri ne filio Smerdi, an Mago ejus nominis: reſpondente eâ, ſe ignorare: miſit alium petentem, ut ex Atoſſa Cambyſis ſorore, diſceret, compellandæ ejus ſibi copiam dari negavit, requiſita tertiùm, ut inter dormiendum de auriculis concubini inquireret; quæ Mago nullæ eſſent: Paruit Parenti filia, & cum ordo ad concubitum eam vocaret, ſomno ſepulti contrectare voluit auriculas, quas nullas reperit, ſtatimq; altero die Patri nunciari juſſit, quæ res mortem ei acceleravit: ſi feminis abſtinere potuiſſet, rectius rebus ſuis conſulturus utique fuiſſet. Itaque nec uxoribus fidendum, quia ſecreta

continere difficilius possunt feminæ, quam viri: Didicit fato suo hoc Fabius Maximus, de quo Tacitus ita: *Interim gravescere valetudo Augusti, & quidam scelus uxoris suspectabant: Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum, electis consciis & comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam: multas illic utrimq; lacrymas & signa caritatis, spemq; ex eo fore, ut juvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Martiæ aperuisse, (stultè) illam Liviæ: gnarum inde Cæsari, neq; multò post exstincto Maximo (dubium an quæsitâ morte) auditos in funere ejus Martiæ gemitus semet incusantis, quod caussa exitii marito fuisset.* Paullò aliter Plutarchus narrat, quem, si lubet, vide. Tangit & Plinius alicubi. Hinc Tyranni & quorumcunque interfuit secreta aliorum nosse quovis modo eorum corrumpere uxores studuerunt & adulterio polluere: Catilinam hoc egisse Sallustius auctor est, quiidem per Fulviam, Q. Curio obnoxiam, conjurationem Senatui proditam scribit. De Augusto Suetonius: *Adulteria eum exercuisse ne amici quidem negant, sed ratione commissa, quo facilius consilia adversariorum per cujusque mulieres exquireret.* De Sejano Tacitus adspirante ad imperium, *Ceterum plena Cæsarum domus, juvenis filius, nepotes adulti moram cupitis adse-*

*lib.* περὶ ἀδολεσχίας.

*Arist. 5. Polit. c. 11.*

*in Catilinâ c. 24.*

*c 23.*

*lib. 2. c. 69.*

*lib. 4. Annal. c. 3.*

*adferebant: & quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat: Placuit tamen occultior via, & à Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur. Nam Drusus impatiens æmuli & animo commotior, orto forte jurgio, intenderat Sejano manus & contra tendentis os verberaverat: Igitur cuncta tentanti promtissimum visum, ad uxorem ejus Liviam convertere, Quæ soror Germanici formæ initio ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcellebat. Hanc, ut amore incensus, adulterio pellexit & postquam primi flagitii potitus est, neq; femina, amissâ pudicitia, alia abnuerit, ad conjugii spem, consortium regni, & necem mariti impulit.* Addit historicus: *quin & secreta ejus, corruptâ uxore, prodebantur.* Aurelianus Imperator Bonoso Hunilam nobili gente Gotthicam mulierem nullâ aliâ de caussâ uxorem dedit, quam ut ejus indicio Gotthorum omnia consilia & arcana cognosceret. Usurpavit scelestissimum hunc morem sacerrimus bipedum Mahometes, pestilentissimæ sectæ Princeps, & adulteria sibi permissa mentitus est ideo, ut de se, quæ sentirent & loquerentur mariti, per stupro cognitas uxores addisceret, ut de eo scribit Antonius Florentinus Archiepiscopus. Prudenter igitur & non sine caussâ Michas vates monet: ab eâ quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.

*c. 7.*

*Vopiscus in Bonoso.*

*in summâ Theologiæ tit XI. c. VI. § 1.*

t. 62. Memorabile est quod Lazarus Soranzius scribit in Ottomanno de Sultanis hoc est Turcicorum Tyrannorum uxoribus sive amasiis. *Sultanæ, inquit, cum in Seralio perpetuò habitent, ubi negotia præcipua tractantur & expediuntur, eorum insciæ esse non possunt: eaq; per Eunuchos, qui ipsarum custodiam habent, Principum exterorum ministris aut Legatis revelant, & Tyrannici quoque jugi proceribus. Student sibi hoc officii genere Principum animos devincire, ut splendidum aliquod munus ab iis eblandiantur. Mater hujus Mahometis honorem singularem Venetæ Reip. se deferre simulat, & sæpius donum aliquod ab eâ postulat.* Hæc Soranzius. Cavendum igitur Viro in Rep. versanti diligenter â leni hoc tormento, hoc est, blandiciis femininis, atq; item tanto studiosius, quanto certius, etiam Sapientissimos quosq; uxoriis aut muliebribus delinimentis captos & in extremum exitium adductos.



## CAPUT IV.

### *Aurum item & munera ex hoc leni genere tormentorum esse.*

INter alia saluberrima monita, quibus Optimus Parens LEO Imperator filium ad suc-

ad successionem Imperii instruit, pulcherrimum est & hoc, cum ait: *In rebus occultis & abditis fideles adscisce tibi & temperantes Viros ac taciturnos & omnino qui in tuâ & non aliorum potestate sint:* Hæc verba grande scelus & in aulis hodiè proh dolor nimis frequens detegunt: quando nimirũ Consiliarii Principum aliorum & exterorum pensionibus clam serviunt. Iactavit hoc strategema unicè Philippus Macedo Alexandri Pater, qui totam Græciam suo auro vectigalem habere se jactabat, qua de caussâ Juvenali dicitur callidus emtor Olynthi. Videatur Justinus lib. 8. & 9. Paulus Orosius l. 3. c. 12. Olynthũ certè Lasthenes illi corruptus tradidit. Quod scelus tanto magis abominandum, quanto magis animos etiam Sapientum pertentat. Κέρδει γὰρ καὶ σοφία δέδεται, quanto plus etiam nocet in Imperio. Tales enim claudunt Principem suum & agunt omnia, ne quid eorum, quæ agunt ipsi, rescicat ipse, ut loquitur Lampridius in Alexandro, rescicat potius ille, cujus auro & pensionibus vivunt. Dolendum itaque Philippum *Plutarch. in*
Macedonem tot sui nominis & indolis suc- *Paulo Æmyl.*
cessores reliquisse, quibus unum studium τοὺς προεστηκότας ἐν ἀλλοτρίαις ἀρχαῖς διαφθείρειν καὶ ἐπαίρειν τούτους: *corrumpere qui principem in alienis Imperiis locum tenent & locupletare.*

 Plutar-

Plutarchus Persarum Reges non aliâ ratione Græcos ab Asiâ depulisse testatur, quam corruptis Ducibus eorundem, imprimis Lysandro & Agesilao. Nec id sine caussâ; Qui enim donum accipit, tenetur obligatus alteri, & vel pudore cogitur vel majoris beneficii adipiscendi spe, vel deniq; metu, ne pòst idem sit accusator qui corrupit. Meminit idem Plutarchus in Arato: Aratus, inquit â Ptolomeo accepit dono civitati suæ centum quinquaginta talenta: & subdit; ἦν μὲν οὖν μέγα καὶ τὸ χρήματα ταῦτα ποεῖσαι τοῖς πολίταις, ὧν σμικρὸν μέρος ἄλλοι στρατηγοὶ καὶ Δημαγωγοὶ λαμβάνοντες παρὰ βασιλέων, ἠδίκουν καὶ κατεδουλοῦντο, καὶ προέπινον αὐτοῖς τὰς πατρίδας. *Hoc est: Erat igitur magnificum vel tantum civibus argenti parasse, cuius exigua portione alii Duces & Demagogi acceptâ velut redemti â regibus jus violabant, addicebant se obnoxios, patriamq; communem propinabant.* Od. 16. lib. 3. Verè igitur & nihil immodicè Horatius olim cecinit.

*Aurum per medios ire satellites,*
*Et perrumpere amat saxa potentius*
*Ictu fulmineo. concidit Auguris*
*Argivi domus, ob lucrum*
*Demersa exscidio. Diffidit urbium*
*Portas vir Macedo & subruit æmulos*
*Reges muneribus, munera navium*
*Sævos illaqueant duces.*

Ve-

Verius nos hodiè ex Tacito: *Corrumpere & corrumpi seculum vocari hoc nostrum & sunt tamen qui valdè etiam commendent has corruptelas in Principibus.* Vel Comineum mihi vide, qui inter laudes præcipuas sui Principis Ludovici XI. Galliarum Regis hanc artem ponit: *Quid per omnes Europæ Provincias gereretur, maximè autem in finitimis regionibus, optimè tenebat, magnus perfectò vir, & idoneus qui non unum aliquod regnum administraret, sed toti terrarum orbi consilio suo provideret. Eduardi sane Angli familiares omnes sibi obnoxios habebat, in quos annuatim distribuebat ad XVI. millia Coronatorum, tamquam ordinarias pensiones, præter has dabat intimis consiliariis luculentissima dona, & is, de quo sæpe diximus, Havartus accepit intra biennium præter pensionem ad XXIV. millia aureorum: & addit mox Unum tantum Hastingum ægrè adduci potuisse, ut pensionem acciperet & vix tandem ei persuasum. Quis enim resistat tot armatis ajebat ille.* Ludovicum hunc Gallum æmulatus est Matthæus Magnus Vicecomes, de quo Jovius in ejus vita. *Plura se tectis consiliis & occultâ largitione, quam vi & cruenta manu confecisse & plura deniq; auro quam ferro feliciter expugnasse dicebat.* Æmulatus est & Cosmus Mediceus Florentinus cujus occultarum largitionum sumtum aliquot myriadum summam

De moribus Germ. c. 19.

lib. 8. Comm.

excessisse scribit idem Paulus Jovius. lib. 5. Elogiorum in ejus vitâ. Valet igitur hodieq; illud Oraculi responsum.

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις.



## CAPUT V.

### *Discordiam quoque nihil relinquere arcanum & venenum esse status publici.*

*In eius vitâ.* DE Catone Plutarchus scribit, solitum eum contentiunculas aliquas inter servos callidè serere, quia suspectam haberet metueretque nimiam concordiam eorum. quod factum ejus non improbare videtur *Ep. 95.* Seneca, dum eleganti similitudine usus ita loquitur: *Societas nostra,* inquit, *lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso continetur.* Quo trahi video & Taciti illud apud Agricolam Tyrannorum morem adferentis, quibus sollemne, ne in commune subditi adversus se consulant, loquendi audiendiq; commercium adimere: quod notatũ quoq; Aristo- *5. Polit. c. XI.* teli. Rationem ab ipsa naturâ petit Plutarchus in Agesilao, & Exemplo illustrat: *Si con-*

*Si contentionem, inquit, & litem segreges ab universitate, opinantur Physici, fore ut corpora cœlestia consistant, omnium item generatio & motio conquiescat, propter mutuum mundi cum his concentum.* Et Laconicus Legislator videtur virtutis facem Reipub. subjecisse: Ambitionem & concertationem, aliquod semper inter bonos certamen & pugnam machinans: illam verò mutuo conniventem in non coarguendo gratiam, quæ iners sit & ignava, parùm rectè dici concordiam censens. Nempe vidisse id Homerum quoque nonnulli arbitrantur: Neq; enim facturum fuisse, ut Ulysse & Achille ad convitia provectis verborum asperitate lætum finxisset Agamemnonem, nisi magnopere censuisset reipub. interesse mutuam Principum æmulationem & dissensionem. Versus Pöetæ sunt: *Odyss. lib. 8.*

——— ἄναξ δ' ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
Χαῖρε νόῳ, ὅτ' ἄριστοι ἀχαιῶν δηριόωντο
Ἐκπάγλοις ἐπέεσσιν.

Hoc est.

*Rex virorum Agamemnon gaudebat animo, cum optimates Græcorum vehementibus verbis inter se contenderent.* Quod de Laconico Legislatore Lycurgo notaverat quoque Arist. 2. Politico. Melanthius tamen apud Plutarch: libello de audiendis Pöetis Probat

in Atheniensi Rep. quam dissensionibus & contrariis Oratorum studiis conservari ait, nam addit si omnes in unam navis partem inclinare velint mergi eam necesse foret, præstat eam in æquilibrio dissensionum versari ut salva sit. Videatur Herodotus in Erato. Luditur hic ludus hodieque & in Repub. & Principatu aluntur discordiæ, & bono id publico fieri putatur: Mihi verò longe aliter videtur, & magis probo eorum sententiam, qui ista diffidia plena periculi censent: præsertim ubi invaluerint: Exem-
14. Annal. pla non desunt: *Julius Classicianus*, inquit Tacitus, *Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatibus impediebat*: Quid Themistoclem & Aristidem dicam Cyaxarem & Cyrum, Ephæstionem & Craterum: C. Petronium & Tigellinum, Valentem & Cęcinnam: Arripiunt hi & in omnem intenti occasionem excubant, quomodo libidini suæ & ultioni satisfaciant, nulla salutis publicæ ratione: Maximè verò se produnt illa odia in turbis aut bellis, ut cum clade publicâ vindicta sumatur: & exitio partium stet privata ultio, ne dicam de aliis incom-
1. Histor. modis, quæ intercurrere solent: Verba Taciti rursus videamus: *Praerat*, inquit, *Legionibus in Britanniâ Trebellius Maximus, per avaritiam ac sordes contemtus exercitui invisusque.*

que.

*que. Accendebat odium ejus Roſcius Legatus viceſimæ Legionis, olim diſcors, ſed occaſione civilium armorum atrocius proruperant, cum interim fœdis legatorum certaminibus modeſtia Exercitus corrupta eſt.* Sic bello Punico ſecundo diſſidentibus inter ſe Conſulibus L. Æmylio & C. Terentio Varrone gravi clade exercitus Romanus ad Cannas afflictus eſt, in cujus hiſtoriæ narratione planè ad ſenſum meum loquitur Polybius: Cum inquit: *Lucius plana & nuda omnia circa videret, quâ ſedebat Hannibal & Equitatu præterea ſuperior is eſſet, cenſebat abſtinendum prælio & in ejusmodi loca deducendum attrahendumq; eum eſſe, ubi pedeſtribus copiis plurimũ res gereretur: Cui ſententiæ cum refragaretur Cajus Terentius,* ἦν ἀμφισβήτησις καὶ δυσχρηστία περὶ τοὺς ἡγεμόνας, ὃ πάντων ἐστὶ σφαλερώτατον *i. e. accidit ut animis diſſiderent Duces, quod omnium eſt perículoſiſſimum, neque in commune conſulerent.* Abſtinendum igitur â periculoſo hoc conſilio fovendi diſſidia, & reconciliandi animi, componendæque ſimultates, quod facere non puduit ſummos quoq; Principes. In ſubſidione Mediolanenſi, cum privatis arderent odiis Proſper Columna & Franciſcus Ferdinandus Piſcarius, Julius Medices Cardinalis ſummo ſtudio ipſos conciliare annixus fuit. Neque verò in bellis ſolum clan-

clandestinæ hæ discordiæ nocent, sed & domi atq; in pace. Solent enim qui odium adversus alterum conceperunt, vel bona eorum consilia in contrarium suadendo impedire, vel mala, dum meliora silent, in perniciem publicam promovere. Quod malum detestabile & omnibus modis cavendum. Exempla hodiè passim in aulis obvia sed invidiosa. Sed & valeat hic Alphonsi votum & consilium, qui sæpe professus est, se, si Romanorum priscorum temporibus vixisset, in Curia Jovi Positorio aram consecraturum fuisse, in quâ consiliarii vel senatores, antequam in consilium venirent, adfectus ponerent, Amorem, Iram, Odium, gratiam, adulationē & alios: Quod votum Curiæ suæ præscribsit Ratisbona Urbs Imperii Romani ut antiquissima, ita moribus & institutis laudabilibus famosissima. Exemplum autem positionis hujus illustre Aristides & Themistocles Græcorum optimi & bellicosissimi dedere, qui cum unà in legationem missi jam portis vicini essent, tum Aristides Themistocli: *Visne*, inquit, *inimicitias* (erant autem inter eos domi capitales) *paulisper hic deponamus, recepturi eas cum redierimus*, quo adsentiente res Græcorum auctæ sunt. Plura apud Plutarchum videantur.

*in Præcept. Reip.*

CAPUT

# CAPVT VII.

## *Mortis ex causis raris, levibus & insperatis accelerata Exempla aliquot.*

NOn sine causlâ quâ Sacri quâ profani scribtores de miseriâ vitæ humanę gravissimè conqueruntur, inprimis verò de morborum tam variis generibus & innumeris compendiis mortis, quod nihil usquàm tuti sit, immò, quod medio de fonte leporum surgat non rarò amari aliquid, quod in ipsis floribus angat, ut doctissimus Poëta loquitur; Hujus fatalis miseriæ nostræ Exempla quædam rariora in hoc caput conjicere placuit, uti temerariis quibusdam aut oscitantibus in hac rerum nocte somnus excutiatur, & mortalitatis memoria inculcetur. Initium autem faciam â Joviano Imperatore: de quo Eutropius scribit, eum in Galatiæ finibus odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis grave quiescentibus erat, repentinâ morte obiisse, quo accesserit vis prunarum nimia, quas gravi frigore adoleri multas jusserat. Clarius Ammianus Marcellinus: *Hinc quoque Jovia-*

*Lucretius.*

*li.X.extremo*

*lib.25. extremo.*

*Jovianum celeri gradu præscribtus vitæ finiendæ dies exegit. Cum enim venisset Dadastanam, qui locus Bithyniam distinguit & Galatas, exanimatus inventus est nocte. Fertur enim recenti calce cubiculi illiti ferre odorem noxium nequivisse, vel extuberato capite periisse succensione prunarum inmensâ.* D. quoque Hieronymus Epistola ad Heliod: *Jovianus gustatis tantum Imperialibus bonis fœtore prunarum suffocatus interiit.* Ex quibus Orosius: Jovianus, inquit, cum in cubiculum quoddam novum sese recepisset, calore prunarum & madore parietum nuper calce illitorum aggravatus & suffocatus, octavo demum mense, quam imperare ceperat, vitam finivit. Idem fatum fuit Luctatl Catuli C. Marl collegæ bello Cimbrico, qui cum Syllæ postea partes secutus esset, & vim Marii Victoris experiri nollet, ultrò hoc sibi mortis genus delegit. Auctor Appianus, cujus verba: Κάτυλος ἐν οἰκήματι νεοχρίςω τε, καὶ ἐξ ὑγρῶ καίων ἄνθρακας, ἑκὼν ἀπεπνίγη. *Catulus in cubiculo recens calce illito & etiamnum humido carbonibus accensis sponte suffocatus est:* Stumpfius in Historiâ Helveticâ idem fatum fuisse notat tonsoris cujusdam Basiliensis anno salutis partæ post millesimum quingentesimum tricesimo quarto. Levi porrò etiam ex caussâ vitam amisit Drusus

*lib. 7. c. 31.*

*lib. 1. Bell. Civil. Plut. Mario, vellejus. Florus.*

Tiberl

Tiberî Claudî Cæſaris ex Plautiâ Urgulanillâ filius, cui cum Pater paullo ante filiam Sejani deſpondiſſet, is Pompeiis pyro per luſum in ſublime jactato & hiatu oris excepto ſtrangulatus ſeu ſuffocatus interiit, ut auctor eſt Suetonius. Quod cum legerem, ſuggerebat mihi memoria pene ſimilem caſum, qui ſuſtulit Illuſtriſſimum & ſummæ Heroicæq; indolis Principem: Illuſtriſſimum inquam Alexandrum Ducem Slucenſem & Copelienſem ē pervetuſtâ inclytaq; Jagellonum Lithvaniæ Ducum familiâ oriundum: Ludens enim & per jocum cum margaritum grandiuſculum ſive unionem auri ſœpius immiſiſſet & itenditem exemiſſet, altius tamdem inſerens eximere ultrâ non valuit, nec diu pôſt ulcere exinde exorto interiit. Miſerabile porrò etiam & repentinum fatum fuit Philippi Ludovici Craſſi Francorum Regis filii, quē cum paullo ante Regem ſalutandum Pater curaverat, dum is in ſuburbano Lutetiæ equitat, occurſu fœminæ ſuis pavefacto equo effunditur, tamq; gravi ruinâ ſternitur, ut paucis pôſt horis expirarit, ut ſcribtum de eo reliquit Paulus Æmylius. Non minus memorabile fatum fuit Adriani Papæ divinitus ei procul dubio procuratū: Cum enim is Imperii Romani majeſtatem in Fri-

In vitâ Claudii c. 27.

dericoBarbarossâ superbè proculcasset & despectui habuisset, justa in illum numinis exarsit vindicta; cum enim inter deambulandum ex limpido fonte bibere cuperet, musca ei in os involavit, collumq; adeo tenaciter insedit, ut suffocaretur priusquam ei auxilium ferri posset, ut prodidere Cremonensis Stella & Martinus Polonus Centur:
*fol.* 412. 12. Balæus factum id ait apud Anagniam anno Domini MCLIX. quinto Pontificatus ipsius anno. Platina Arignanum dicit. Baldo quoq; Jurisconsultorum coryphæo mortem acceleravit levis sed tristis casus. Habebat ille in deliciis catellum Melitensem, quo cum oblectare se ludendo fessus â studiis solebat, hic inter ludendum leviter illi labrum semel admordet, quam morsiunculam Baldus insuper habet & contemnit, quarto mense pòst inopinatâ & improvisâ rabie correptus interiit. Sic Federicum Contarenum P. Justinianus morsu canis exstinctum scribit. Pari prorsus ratione exstinctus est quidam admorsus leviter à fele, cui Epitaphium positum est tale:

*Pandulph. Prateius Ticini factũ ait anno 1412. alii volunt anno 1400.*

*l.* 8. *Hist. Ven. p.* 149.

*Hospes disce novum mortis genus, improba felis*
*Dum trahitur, digitum mordet & intereo.*

Hæc dum colligo incido in locum Sotadis Pöetæ apud Stobæum serm: 96. qui similia exempla

exempla ſuggeſſit: ſcribit enim Diogenem crudi Polypi eſu exſtinctum & Sophoclem acino uvæ ſtrangulatum, Æſchylum ſub dio inter ſcribendum teſtudinis ab aquila dejectæ caſu oppreſſum. Concludam hoc caput mirabili & luctuoſo genere necis, quod eleganti Epigrammate deſcribſit Callimachus relato in Anthologiæ libro 1. ſub titulo εἰς μητρυιάν:

> Στήλην μητρυιῆς μικρὰν λίθον ἔστεφε κοῦρος
> Ὡς βίον, ἠλλάχθαι καὶ τρόπον οἰόμενος.
> ἡ δὲ τάφῳ κλινθεῖσα κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα.
> φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι.

Quod ſic latinè olim reddidimus:

> *Ecce novercalem ſtatuā dum flore coronat,*
> *Cum vitâ mores hanc poſuiſſe ratus:*
> *Interit heu ſtatua puer infelice ruinâ*
> *Atq; novercarum buſta cavere jubet.*

Atq; ad hoc alludit aliud quoq; non minus elegans Epigramma Græcum, quod nunc non ſuccurrit: ita autem & illud latinè aduleſcens reddidi:

> *Nulla Noverca bona eſt, vel enim odit iniqua fovendos*
> *Privignos, odiū ſeminaq; aucta vigent:*
> *Vel morem ſi præter amat, quoq; lædit amando,*

*Ut docet in miserum Phædræ amor Hippolytum.*
*Quin nec morte perit, neq; contumulata sepulchro*
*Illa Novercalis se cohibet rabies.*
*Functarum statuæ retinent fomenta nocendi*
*Et casu occasus sæpe tulere suo.*

Concluſurus, ut inſtitueram, fueram hoc caput, cum ecce aurem mihi vellit Draco Legiſlator, & ſe quoq; hic legi poſtulat: Qui cum prior Solone Athenienſibus leges tuliſſet, iisq; noxas penè perſecutus omnes capitali ſupplicio eſſet, eo progreſſus uſque, ut & otii damnati (frequens hodiè divitum crimen) capitis arceſſerentur & qui poma ſurripuiſſent aliena aut oleas, in eos non ſecus atq; in ſacrilegos conſuleretur: obitum tandem conſecutus eſt felicitate pariter & miſeriâ admirabilem. Cum enim in Æginæ Theatro propter latas leges lœtis adclamationibus celebraretur, pluribus petaſis, tunicis & veſtibus capiti ſenis injectis, inopinatò ſuffocatus interiit, & in ipſo theatro ſepultus eſt. Auctor eſt Heſychius Illuſtrius, Δράκων, inquit, ὁ νομοθέτης εἰς Αἴγιναν ἐπὶ νομοθεσίαις εὐφημούμενος ὑπὸ τῶν Αἰγινητῶν ἐν τῷ θεάτρῳ ἐπιρριψάντων αὐτῷ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν πετάσους πλείονας καὶ χιτῶνας ἀπεπνίγη.

Eadem

Eadem habet & Suidas, & Heſychio amplius, quod in ipſo Theatro ſepultus ſit. Hujus fatum cum legerem, in memoriam venit quoddam non abſimile lectum mihi apud Froſſardum. *Cardinalibus,* inquit, *ad eligendum Pontificem congregatis pop. Rom. in Curiâ graviter tumultuari, interminans haud obſcurè, ni Pontificem eligant genere & familia Romanum, ſe dira facturos. Itaq; creatur Pontifex vir quidam centum annos natus. Hunc Romani mulæ altæ impoſitum, per urbem magnâ oſtentatione circumducunt. Sed decrepitus ſenex, equitatione & moleſto illo officii genere delaſſatus, triduo pòſt exſpiravit.* lib. 1.



## CAPUT VII.

### *Magnam eſſe Conſcientiæ vim in utrumq; itaq; ei ſtudendum, ut illibata ſit.*

VAldè me affecerunt prægnantia verba D. Chryſoſtomi Concione quartâ de Lazaro: *Eſt*, inquit aureus ille Eloquentiæ Chriſtianæ fons, *in ipsâ mente humanâ tribunal quoddam à naturâ conſtitutum, ubi unuſquisque ſui ſceleris eſt Index, teſtis & judex, ut, cum ipſe propriæ culpæ conſcius ſeipſum capitis condem-*

*net, pœnam sibi postea à Naturæ auctore inflictam, justissimam esse censeat & agnoscat.* Quæ si quis altius paullò ad animum revocet, næ ille suis rebus rectius viderit, & cavebit malo, si sapiat modò. *Nullus enim,* ut loquitur D. Ambrosius Epist. 18. lib. 5. *major est dolor, quam is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam, neq; ullum gravius est onus, quam peccatorum sarcina & pondus flagitiorum.* Quod ipsum & Polybius agnovit, cum inquit, *Nullum neque testem tam formidabilem, neq; judicem tam tristem aut severum esse, quam sit conscientia, quæ mentibus cujusq; insideat & inhabitet.* Et Philo lib. de Nobilitate, *Conscientiæ,* inquit, *solius tribunal nullis verborum technis circumscribitur.* Magis verò pathetice hæc effert Victor Cartennensis Episcopus lib. de Pœnitentiâ cap. 5. *Conscientia,* inquit, *apud quam non moritur omne, quod gerimus, nos in factis nostris accusat & judicat, cumque non habeat loquendi usum, nescit tamen tenere silentium. Potest conscius morti subduci, non potest testi conscientiæ: nil tectum ei est & sine te non est, hæret pectori, nec umquam te deserit, & velut quædam pedissequa nullo abs te temporis intervallo discedit, tenet te reum & in suâ semper ditione captivum.* Atq; hi

Sat. 13. quidem sunt, qui, ut Juvenalis canit, *trepidant*

*dant & ad omnia fulgura pallent, Quos tu, cave, evasisse putes, nam diri conscia facti*

*Mens habet attonitos & surdo verbere cædit.*

*Occultum quatiente animi tortore flagellum.*

*Nec prius hi mentem stimuli, quam vita, relinquunt.*

Hos nempe, Ovidio teste, *strangulat inclusus dolor, atque cor æstuat intus* Neque contra valet ullum præsidium, ullum robur aut munimentum: quippe ut comicus vetus ait: Ὁ συνιςορῶν αὑτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος, ἡ σύνεσις δειλότατον εἶναι ποιεῖ: *Sibi conscium mali licet fortissimum virum Timidissimum tamen facit ipsa conscientia.* Si videlicet malum omne, teste Tertulliano, timore & pudore perfudit. Vidit hoc & Stoicæ Philosophiæ Princeps Seneca cujus verba non possum quin adtexam: *Confusam*, inquit, *vitam & perturbatam impotentes agunt. Tantum metuunt, quantum nocent, nec ullo tempore vacant, trepidant enim, cum fecerunt hærent. Conscientia aliud agere non patitur, ac subinde ad se respicere cogit. Dat pœnas quisquis exspectat: quisquis autem meruit exspectat. Tutum aliqua res in mala conscientia præstat, nulla securum. Putat enim se, etiamsi non deprahenditur, posse deprahendi, & inter somnos movetur, &, quoties ali-*

*In Apologetico.*

*Ep. 105. in Exempl. Gruteriano alias 106.*

*cujus scelus loquitur, de suo cogitat, non satis illi obliteratum videtur, non satis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam.* Quibus verbis prorsus interpretatur suos versus, quos in Hippolyto posuerat:

v. 160. & seqq.

*Negata magnis sceleribus semper fides:*
*Quid pœna præsens? conscius & mentis pavor*
*Animusq; culpa plenus & semet timens*
*Scelus aliqua tutum nulla securum tulit.*

Sat. 13. Eâdemq; opera illa Juvenalis:

*Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi*
*Displicet auctori: prima est hæc ultio, quod se*
*Judice nemo nocens absolvitur: improba quamvis*
*Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.*

Videatur idem Seneca Epistula 98. ubi inter alia cordatissimè dicta hoc quoq; addit. *Multos fortuna liberat pœnâ, metu neminem.* Placet per Exempla ire & potentissimorum quidem Principum, qui vel tormina hæc conscientiæ agnovere vel persensere: facile se dabunt plurima, & vel Julium illum mihi Cæsarem vide, cujus clementiam ipsa Eloquentia, hoc est Cicero non disertè satis commendare potuit, is tamen vidit & frequenter

quenter adeò in ore habuit: *Miserrimam comitem Senectutis esse pristinæ crudelitatis memoriam.* Non vidit tantum, sed sensit quoque & dolorem usque suum fatetur significantissimis verbis apud Tacitum Tiberius in literis ad Senatum: quarum initium: *Quid scribam vobis, P. C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, DI me DEÆq; pejus perdant, quam perire quotidiè sentio, si scio.* Ad quæ ita commentatur Historicus: *Adeo facinora atq; flagitia sua ipsi quoq; in supplicium verterant: Neq; frustra præstantissimus Sapientiâ firmare solitus est, si recludantur Tyrannorum mentes, posse adspici laniatus & ictus, quando, ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis animus distrahitur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur.* Quæ ultima verba revocabant mihi in mentem Senecæ verba, unde ista fortean sumta: *Conscientia,* inquit, *etiam in solitudine anxia atq; sollicita est, immò neq; vigiliis, neq; quietibus sedari potest.* Fugerat Tiberius in Campaniam, sed circumferebat ubique tormentum suum, neque aliud agebat, quam correpti inter navigandum nausea solent, ii enim melius se habituros putant, si in lintrem è lembo, rursumque inde in triremem conscendant nihil tamen

*lib. 6. Annal. c. 6.*

*Ep. 43.*

Lib. de Tranquill. Animi. efficiunt, *quia bilem & metum secum transferunt*, ut eleganter Plutarchus. Tiberium Nero Claudius excipiat, quo nescio an portentosius monstrum terra tulerit. In eius vitâ c. 46, Hic uxoris & Matris peremptor, teste Suetonio, terebat, evidentibus portentis somniorum & auspiciorum & ominum tum veteribus tum novis, numquam ante somniare solitus. Occisâ demum matre vidit per quietem navem sibi regenti extortum gubernaculum, trahiq; se ab Octaviâ uxore in arctissimas tenebras, & modo pennatarum formicarum multitudine oppleri, modo â simulacris gentium ad Pompeï theatrum dedicatarum circuiri, arceriq; progressu. c. 50. & 51. vitæ eius. Neque melior conditio Caligulę apud eundem, qui nulla nocte plus quam tribus horis quiescebat, ac ne his quidem placidâ quiete, sed pavidâ miris rerum imaginibus, qui item ad minima tonitrua & fulgura connivere, caput obvolvere, ad verò majora, proripere se è strato, sub lectumq; condere solebat. c. 14. in eius vitâ. Domitianus etiam Imperator pavidus semper atq; anxius, minimis etiam suspicionibus præter modum cōmovebatur, unde & porticuum in quibus spatiari cōsueverat parietes Phengite lapide distinxit, è cujus splendore per imagines, quidquid â tergo fieret, provideret, nec nisi secreto atq; solus

solus pleraſq; custodias, receptiſq; in manu catenis, audiebat, & quæ plura ibi ſequuntur. Et ne Romanorum ſolùm Veterum Exempla commemorem, quis ignorat quomodo Symmachi & Boëthi Virorum Clarissimorum cœdes exercuerit Theodoricum Gotthorum Regem? quomodo Gruſes interfectores Ibyci, Hirundines parricidam Beſſum apud Plutarchum. De Michaele Palæologo Imperatore Nizephorus Gregoras: Nec deſunt, qui eum perpetuo afflicto animo & turbatâ conſcientiâ fuiſſe dicant, ob innovatum dogma, quod eò amplexus fuerat, ut Imperium ad liberos ſuos propagaret, â quibus id ſcilicet honoris ei eſt habitum, ut ne Imperatoriâ quidem ſepulturâ ornaretur. Quo loco ſubjungit Hiſtoricus elegantem παραίνεσιν, quam hoc tempore, quo hæc ſcribo, voluiſſem expendere eos, qui ad rerum gubernacula ſedent, forte enim futurum eſſet, ut alio verſum ſua conſilia dirigerent: Ita autem pius ſcribtor: *Mea vero ſententiâ is prudentiſſimè rebus ſuis conſulet, qui primum ſuapte cauſâ optima quæq; amplexus fuerit: deinde liberis etiam & cognatis ſuis proſpexerit. Qui verò toto animo gloriolam aucupatur, & iis caſibus, qui animum obruunt, nec conſtantiæ quidquam habent, ſe ſubiicit, & jucundiſſima optimis ſive ſuâ, ſive ſuorum cauſâ anteponit:*

*lib. de ſerâ numinis vindictâ.*

*l.5. Hiſt. Rom.*

*anteponit: is miser mihi videtur, tum ob temeritatem, tum propter inane studium quod, præter DEUM, ejus voluntati & consiliis adversantem, evestigio etiam alia, quam speraret, experitur, & in extremas miserias præcipitatur. Ecce enim is, de quo nunc agimus Palæologus Imperator, vir alioqui prudens, charitate liberûm victus, ostendit satis, verum esse, quod Plato dixit: amorem esse cæcum. Nam cum omnes & de se & liberis curas in divinam providentiam rejicere debuisset: ille cæci instar, dum amori liberûm indulget, imprudens â summo Principatu in calamitatum barathrum sese præcipitavit.* Hæc Gregoras olim: His temporibus accommodatissima audiant, qui volent, me ex ipso repetente. Cæterum, ut delictorum carnificinam conscientiam esse diximus: ita contra dulce est & grande solatium viris bonis, qui vitam sceleris puram egerunt, estq; puro & illibato gaudio

*Nil conscire sibi nullâ pallescere culpâ.*

Animadvertit hoc Antiphon Græcus Comicus duobus senariis

Τὸ μὴ συνειδέναι γὰρ αὑτὸν τῷ βίῳ
Ἀδίκημα μηδὲν ἡδονὴν πολλὴν ἔχει.

Plato item ex Pindaro Bonam conscientiam dulcem nutriculam Senectutis dixit, τῷ μηδὲν ἑαυτῷ ἄδικον ξυνειδότι ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστι, καὶ ἀγαθὴ γηροτρόφος, ὡς καὶ Πίνδα-

ρος

ρος λέγει. Nec minus venuſtè Seneca: *Talis eſt animus viri ſapientis & nullius mali ſibi conſcii, qualis mundi ſtatus ſuper Lunam, ſemper illic ſerenum eſt: Sapiens numquam ſine gaudio: gaudium hoc non naſcitur, niſi ex virtutum conſcientia.* Tali animi magnitudine & bonæ conſcientiæ fructu olim gaudebat Aphricanus major Scripio apud Plutarchum: Cum enim ei duo Tribuni Plebis, Porcii Catonis operâ concitati, diem dixiſſent, pecuniæ ab Antiocho Rege acceptæ, & non in publicum relatæ: is, ſuæ probitatis ſibi conſcius, vocanti Magiſtratui paret, ac ingenti fiducia animi in forum progreſſus, orationem amplam magnificamq; habuit, de rebus â ſe pro Rep. geſtis, quarum commemoratio non pro gloriâ ſed pro periculo ſuo habita, â multitudine, quæ ibi frequens aderat, æquis animis recipitur. Inſtant tamen Tribuni, & multis calumniis hominem onerant, & quaſi culpæ obnoxium, ſuſpicionibus magis, quam argumentis accuſant. Sequenti die citatus iterum Aphricanus ad conſtitutam horam præſto adeſt & cum magno comitatu Amicorum per mediam concionem ad Roſtra progreditur. Ibi ſilentibus cunctis, Memini, inquit, Quirites, me tali die de Annibale & Poenis egregiam victoriam conſecutum: quamobrem

*Ep. 59.*

*In vitâ eius.*

obrem poſtpoſitis litibus hinc eundum in Capitolium cenſeo, ut pro Republicâ feliciſſimè geſta divino numini gratias agamus. Proficiſcentem deinde P. Scipionem non modo in Capitolium, ſed etiam ad omnia templa Urbis, ſecuta univerſa concio eſt, magiſtratu cum ſolis miniſtris relicto. Hæc velut ultima proſperitatis dies & frequentiâ hominum & benevolentiæ ſignificatione, quacumq; antecedenti felicior Aphricano illuxit. Ejuſdem animi fuit, quod librum pro reddendâ ratione â L. Fratre in Senatum allatum, ſuis manibus concerpſit, quod alia fecit, quæ Plutarchus narrat. Senſit hoc quoque bonæ conſcientiæ gaudium Antoninus Imp. qui moriens Æquanimitatis quoq; ſignum Centurioni dedit, ut ſuam in morte æquanimitatem doceret. Senſit majorum ævo Eberhardus Dux VVirtenbergenſis, qui ſe ita de ſuis civibus meritum dicebat, ut ſine metu in cujuslibet illorum ſinu ſuaviter quieſcere poſſet. Hi videlicet tales poſſint illud Horatii uſurpare

Od, 3, lib. 3.

*Si fractus illabatur Orbis,*
*Impavidum ferient ruinæ.*

Vivendum igitur ſic, ut catella illa pectoris quam circumgeſtamus, non allatret nos, aut etiam flagellet: Conſcientiæ enim ſatisfactum ſi fuerit, nihil opus eſt ut ſatis

fiat

fiat Calumniæ, id quod eleganter Alcimus Avitus ad Fuscinam sororem hoc disticho expressit:

*Una tibi modo constiterit mens conscia recti,*
*Neglige quid de te rumor divulget inanis.*



# CAPUT IIX.

## *Multum referre ut Imperator milites suos norit eosq; nomine etiam suo appellare sciat.*

IN Oratione nostra de Virtutibus Imperatoriis memini & hoc me attigisse: Diligēter annotatum fuisse ab Historicis, quod Præstantissimi omnium temporum Imperatores studuerint milites suos suis quosque nominibus appellare. Id nunc pluribus docebimus testimoniis & tamdem rationes hujus consilii sive instituti expendemus. Primum igitur usurpatum hunc morem â M. Petreio notavit Sallustius, qui ante prælium, quo Catilinam oppressit, equo circumiens unumquemque militum nominans appellat. Apud Tacitum in nobili illa seditione castrensi: *Opposuit sinum Antonius stricto ferro, aut militum se manibus aut suis moriturum*

*In Catil. exemp.*

*lib. 5. Hist.*

riturum obtestans: ut quemq; notum & aliquo militari honore insignem adspexerat, ad ferendam opem nomine ciens. De Adriano Imp. Spartianus: *De Militum etiam ætatibus judicabat, ne quis aut minor, quam virtus posceret, aut major, quam pateretur humanitas, in castris contra morem versaretur: agebatq; ut sibi semper noti essent, & eorum numerus sciretur.* Et aliquot paginis interjectis addit: *Nomina plurimis sine nomenclatore reddidit: Dixit & Veteranorum nomina, quos aliquando dimiserat.* Lampridius etiam de Alexan: Severo: *Milites suos sic ubiq; scivit, ut in cubiculo haberet breves & numerum & tempora militantium, semperq; cum solus esset & rationes eorum & numerum & dignitates & stipendia recenseret, ut esset ad omnia instructissimus. Deniq; cum inter militares aliquid ageretur, multorum dicebat nomina. De promovendis etiam sibi annotabat, & perlegebat cuncta pittacia, & sic faciebat diebus pariter annotatis, & quis & qualis esset, & quo insinuante promotus.* Ottonem quoque non aliud ad Imperium evexit, quam quod quemque militum in agmine, in stationibus, in itinere nomine suo compellabat. Tacit. 1. Hist. *Studia militum jam pridem spe successionis aut paratu facinoris affectaverat. In itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemq; militum nomine vocans, ac contubernales appellando.*

*appellando.* Ab Historicis res processit ad Poetas qui Historiam scribere vel decantare videri volunt. Furius X. Annalium

*Confirmat dictis, simul atque exsuscitat acreis*
*Ad bellandum animos, reficitq; ad prælia mentes*
*Nomine quemq; ciens, dictorum tempus adesse*
*Commemorat.*

Apud Virgilium etiam, lib. Aene. 11.

*Per medias cædes cedentiaq; agmina Tarchon,*
*Fertur equo, variisq; instigat vocibus alas,*
*Nomine quemq; vocans, reficitq; in prælia pulsos.*

Et rursus apud eundem Turnus, lib. Aen. 12.

*Ille simul fugiens Rutulos simul increpat omnes*
*Nomine quemq; vocans.*

Apud Silium etiam Italicum Hannibal lib. 1.

*Increpitansq; suos inferri signa jubebat*
*Perq; ipsos cædis cumulos stragemq; jacentẽ*
*Monstrabat furibundus iter cunctosque ciebat*
*Nomine, ut in prædas stantem dabat improbus urbem.*

Hinc inter præcepta militaria res est relata. Vegetius enim lib. 3. c. 10. de re Militari ita

ri ita disertè præcipit. *Dux*, inquit, *sciat etiam nominatim (si potest fieri) quis comes, quis tribunus quis domesticus, quis contubernalis, quantum possit in bello &c.* Fecit hoc studiosissimè Adrianus, si Dioni fides, qui nō solū nomina Ducū singulorūq; militum, sed & vitā, mores ac stationem notissimam habebat. Quod in universum curæ Romanis fuisse docuit me ad Suetonium ex Appiani ἐμφυλίων lib. 3. Vir summus Isacius Casaubonus: ᾔτησε, inquit Historicus, παρὰ τῶν χιλιάρχων τοὺς στασιώδεις: ἀνάγραπτον γὰρ ἐστὶν ἐν τοῖς Ῥωμαίων στρατοῖς ἀεὶ καθ' ἕνα ἄνδρα ὁ τρόπος. Quem morē quia migravit Cæsar, ideo Suetonius in ejus vita narrat tamquam rem nov..n, dum inquit: *Militem neq; à moribus neq; à forma probabat, sed à viribus solum.* quasi diceret, quod à moribus nostri populi alienum. Atque hæc de more militari satis dicta: Nunc ad causas procedendum, & cur hæc tam superstitiosa nominandi milites ratio invaluerit, dispiciendum. Eas erudite copioseq; exsecutus est Scribtor Græcus Xenophon: Apud quem cum Cyrus Babylona versus contenderet & nominatim suis Ducibus peragenda præciperet, primum quidē Chrysantæ, tum Artabazo deinde Ardamyę, mox Embanti, post Artuchæ, Thamoradæ, Damatæ, Matadæ, Hierosambatæ, Tigrani, Alceu-

*lib. 5. Cyropædias.*

Alceunæ & aliis: ſubjungit Hiſtoricus: Ἐκ τούτου οὖν ᾤχοντο ἐπὶ τὰς σκηνάς, καὶ ἅμα ἀπιόντες, διελέγοντο πρὸς ἀλλήλους, ὡς μνημονικὸς ὁ Κῦρος, ὁπόσοις συνέταττε, πῶς ὀνομάτων ἐνετέλλετο. Ὁ δὲ Κῦρος ἐπιμελείᾳ τοῦτο ἐποίει. πάνυ δὲ αὐτῷ θαυμαστὸν ἐδόκει εἶναι, εἰ οἱ μὲν βάναυσοι ἴσασι τῆς αὐτῶν τέχνης ἕκαστος τῶν ἐργαλείων τὰ ὀνόματα. Καὶ ἰατρὸς δὲ οἶδε καὶ τῶν ὀργάνων καὶ τῶν φαρμάκων, οἷς χρῆται πάντων τὰ ὀνόματα. Ὁ δὲ στρατηγὸς οὕτως ἠλίθιος ἔσοιτο, ὥστε οὐκ ἴσεται τῶν ὑφ᾽ αὐτὸν ἡγεμόνων τὰ ὀνόματα: οἷς ἀνάγκη ἐστὶν αὐτῷ ὀργάνοις χρῆσθαι, καὶ ὅταν προκαταλαβεῖν τι βούληται, καὶ ὅταν φυλάξαι, καὶ ὅταν θαῤῥῆναι καὶ ὅταν φοβῆσαι, καὶ πρὸς τὸ τιμῆσαι δέ, ὁπότε τινα βούλοιτο, πρέπον αὐτῷ ἐδόκει εἶναι, ὀνομαστὶ προσαγορεύειν. Ἐδόκουν δὲ αὐτῷ οἱ γιγνώσκεσθαι δοκοῦντες ὑπὸ τοῦ Ἄρχοντος, καὶ τοῦ καλόν τι ποιοῦντες ὁρᾶσθαι μᾶλλον ὀρέγεσθαι, καὶ τοῦ αἰσχρόν τι ποιεῖν, μᾶλλον προθυμεῖσθαι ἀπέχεσθαι. Ἠλίθιον δὲ τοῦτο αὐτῷ ἐδόκει εἶναι, τὸ ὑπότε βούλοιτό τι πραχθῆναι προστάττειν, ὡς καὶ ἐν οἴκῳ ἔνιοι προστάττουσι δεσπόται, ἴτω τις ἐφ᾽ ὕδωρ: ξύλα τις σχισάτω, οὕτω γὰρ προσταττομένων εἰς ἀλλήλους ὁρᾶν ἅπαντες ἐδόκουν αὐτῷ, καὶ οὐδεὶς περαίνειν τὸ προσαχθέν, καὶ πάντες ἐν αἰτίᾳ εἶναι, καὶ οὐδεὶς τῇ αἰτίᾳ οὔτε αἰσχύνεσθαι, οὔτε φοβεῖσθαι ὁμοίως διὰ τὸ σὺν πολλοῖς αἰτίαν ἔχειν. Διὰ ταῦτα δὴ αὐτὸς (ὁ Κῦρος) πάντες ὤνομασεν, ὅτῳ τι προστάττοι. Hæc

Xenophon, quæ Latinis ſenſum faciunt hunc: *Exhinc ſecedebant ſinguli in ſua tabernacula, interq; ſecedendum conferebant inter ſe, quanta memoria Cyrus eſſet, qui tot nominatim inſtruxiſſet, ſingulisq; appellatis præcepiſſet agenda. At Cyrus in hoc ſtudiosè verſabatur negotio, quippè, cui abſurdum videretur, opificem mechanicum noſſe ſingula artis ſuæ inſtrumenta & Medicum quoque ſua; ſicut & remedia: Imperatorem autem Exercitus ita fatuum eſſe, ut neſciat nomina ſubditorum Ducum, quibus ei opus eſt inſtrumentorum loco uti, ut dum anticipare quid velit & dum cavere, dum excitare ad virtutem aut terrere nititur: Putabat & honorificum eſſe militibus ſi à ſuo Imperatore nominibus ſuis compellarentur. Itaq; eâ compellatione honoratiores reddebat. Credebat inſuper eos milites, qui à Principe cognoſcerentur, magis operam daturos, ut memorabili aliquo fortiq; facto ſe commendarent amplius, quam ut deformi aliquo turpiq; facto gratia & favore exciderent. Stultum porrò cenſebat, cum vellet aliquid geri, ita imperare, quemadmodum inepti aliqui Heri domi ſuæ ſolent jubere: Eat aliquis ad aquam: Findat aliquis ligna. Nam ſi ita imperetur, õnes ei ſervi videbuntur ſeſe adſpicere, neminem autem, quod juſſum eſſet, facere, atq; omnes quidem in cauſa eſſe neglecti mandati, neminem tamen eâ causâ pudere vel metuere, quia culpa ſit omnium.*

*um.*

*um. His Cyrus de caussis nominatim cuiq;, quod*
*volebat, imperabat.* Ex quibus verbis qua-
tuor intelliguntur caussæ hujus instituti.
Prima sumitur â Decoro; magis videlicet
suarum rerum satagere debere Imperato-
rem, quam circa sua faciat opifex aut Medi-
cus. Quo enim nobilius est officium Impe-
ratoris, eò sollicitius regi geriq; debet. II. Ra-
tio est, quia Imperator, si hunc honorem
militibus habeat, ipsos vicissim habeat pro-
niores & obsequentiores: Honor est au-
tem si suo eos nomine appellet, tamquam
de quibus curam habeat & norit nomine.
Hinc in sacris nomine suo appellare est cu-
ram & studium pro altero docere, Esaiæ c. *vers. 1.*
43. Cave timeas, ego redemi te, nomine te *vers. 3.*
tuo appellavi, meus es: & 45. eadē verba re-
petuntur. III. Ratio est, quod sic acuantur
militum animi ad fortius audendum, & à
timiditate avocentur: Laborant enim omni
opera, ne frustrâ cogniti sint suis Ducibus, *NB.*
sed nobili aliquo facinore magis inclare-
scant. Deniq; ab absurdo simili rem urget.
Ut inquit quæ pluribus indistinctè man-
dantur non rectè curantur: Ita in bello
quoq;, quod argumentum Aristoteles quo-
que in Politicis non uno loco attigit, inpri-
mis autem 2. Polit. c. 3. contra Platonis cō-
munionem: *Communia*, inquit, *vel ideò maxi-*

*mè negliguntur, quia eorum curam ſemper rejicimus in alios: iſte curabit aut iſte* & ſubjungit: ὥσπερ ἐν ταῖς οἰκετικαῖς διακονίαις οἱ πολλοὶ θεράποντες ἐνίοτε χεῖρον ὑπηρετοῦσι τῶν ἐλαττόνων. Quem Ariſtotelis locum Xenophon æmulatus fuiſſe videri poteſt.



## CAPVT IX.

### *Noctem & omnem in univerſum ſolitudinem gravioribus & curis & ſtudiis amicam eſſe.*

CUm olim adoleſcens in Marſilii Ficini Philoſophi Platonici lectione occuparer, incidi in locum elegantem, quo perſtringit morem quendam imperitorum adoleſcentum, qui ubi ſerii aliquid in ſtudiis ſuis meditari aut agere volunt, prodeunt in ridentes diverſicoloribus floſculis campos, aut ſylvas canorarum avicularum concentibus perſonantes ſubeunt, quibus in locis tot voluptatum illecebris & avocamentis animus â ſeriis abripitur, ubi avium dulce
*lib. 9. c. 2.* avium ducit ut loquitur Quintilianus cogitationeſq;, quæ collectæ eſſe debebant, diſtrahuntur & obruuntur. Monet ſolitudinem potius quærendam, aut locum aliquem

quem

quem opacum tenebrosumve, liberum ab istis remoris & impedimentis, quo Natura ipsa nos vocet & aurigetur. Sumsit hoc procul dubio ex Averroe, qui noctem multis de caussis commendat deliberationibus aptam, maximè verò propter silētium, quod Nocti proprium est, unde ipsa â Poetâ Principe Nox silens vocatur:

*Rura tenent somno positæ sub nocte silenti.*

Sicut enim mens loquacitate distrahitur, ita colligitur veluti & vegetatur silentio: atq; ideò credibile est Athenienses Noctuam Sapientiæ symbolum constituisse, quia noctu avis illa acutius videt: Sicut & Epicharmo Siculo teste:

Ἐν νυκτὶ βȣλὴ τοῖς σοφοῖσι γίγνεται.

Unde & ipsa Nox Sophocli dicta εὐφρόνη παρὰ τὸ εὐφρονεῖν. Hinc Poetæ Principes utriusque lingvæ Imperatores suos Homerus quidem Agamemnona, Virgilius verò Aeneam, non faciunt totam noctem stertere, sed plurima per eam animo volvere & meditari: Homerus non solum Agamemnona vigilantem de nocte fingit, sed & Jovem supremum DEORUM. Jta enim orditur librum 2. Iliados:

Ἄλλοι μὲν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυςαὶ
Εὗδον παννύχιοι. Δία δ᾽ ȣκ ἔχε νήδυμος
ὕπνος:

Ἀλλ' ὅγε μερμήριζε κατὰ φρένα, ὡς Ἀχιλῆα
Τιμήσῃ &c.

De Agamemnone autem libri X initio:

Ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
Εὗδον παννύχιοι, μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ
Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν
Ὕπνος ἔχε γλυκερὸς, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα.

Libro v. 2. Iliad. bis non ſine cauſsâ repetitur verſus ille μυστηριώδης.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.
*Turpe duci ſomno totam traducere noctē,*
*Cui multi populi commiſſi, plurima curæ.*

*Progymnaſmate ſup. hoc loco.*

Quam gnomen eleganter interpretatur Libanius Sophiſta: Primum verò ita inquit: Καὶ τί δεῖ παλαιὰ λέγειν? Ἀλλὰ τὸν ἁπανταχῆ περιφερόμενον τίς οὐκ οἶδε λόγον? ὅς φησι, δεῖν ἐν νυκτὶ βουλὰς ἔχεσθαι. Ὁ δὲ σοφὸς Σοφοκλῆς, τί μαθὼν Εὐφρόνην ἀπεκάλει τὴν νύκτα? Οὐχ' ὅτι τὸ φρονεῖν ὡς μάλιστα τότε τοῖς ἀνθρώποις παραγίνεται. *Quid verò,* inquit, *Priſca afferre opus? aut cui ignotum vulgi ſermone tritum Proverbium? Noctu urgenda conſilia. Quo autem ſenſu ſapiens Sophocles noctem dixit vocabulo à mente ducto*

*Euphronen?*

*Euphronen? numquid ideo? quod tum mentis vis in homine maximè exercetur.* Dicas: emaciabis hac ratione Ducem & occides, si fessum diurnis laboribus noctu quiete prohibeas. Occurrit Libanius & ex verbis ita arguit: μὴ καθεύδειν ἀεὶ, φησὶ, δεῖν, ὥστε τὸ μὲν τοῦ ὕπνου μέρος σώζει τὸν ἄρχοντα, τὸ δὲ τῆς ἀγρυπνίας, αὐτὴν τὴν ἀρχήν. *Non dicit prorsus non dormiendum sed non semper: Itaq; somni portio conservat Principem seu Ducem, pars vigiliarum Principatum.* Τὴν γὰρ ἡμέραν τῶν ἔργων, τὴν δὲ νύκτα βουλῆς εἶναι δεῖ καιρόν. *Diem videl. actionum, noctem verò consiliorum oportet esse tempus.* Καὶ τοῦτο, addit Libanius, διατηρήσει τὴν ἀρχὴν, ἂν μὲν ἡ νὺξ δέχηται τὰς βουλὰς, τῆς δὲ ἡμέρας φανείσης ἐπιτελῇ τὰ δόξαντα: *In hoc consistet salus imperii, si nox deliberationes admiserit, ipsâ verò exorta die decreta peragantur.* Notavit, ut dixi, hoc quoque Virgilius, apud quem itidem — *Pius Aeneas per noctẽ plurima volvit.* lib. 1. Aeneid.

Factum hinc, ut inter præcepta militaria referretur hoc: Onosander enim statim initio Strategici sui requirit. c. 1. στρατηγὸν νήπτην, ὅπως ἐπαγρύπνῃ τοῖς μεγίσταις πράξεσι: ἐν νυκτὶ γὰρ addit, ὡς τὰ πολλὰ ψυχῆς ἠρεμούσης στρατηγοῦ γνώμη τελειοῦται. *Sobrium requirit Strategum, ut in arduis negotiis parandis putandisq; pervigilet. Noctu enim quasi silente & quiescẽte animo, multa Ducis cogitatio perficitur.* Mauritius quoq;

Imp. IIX. Strategic. requirit: τὸ συμμέτρως διαιτᾶσθαι καὶ ἀγρυπνεῖν, καὶ ἐν ταῖς νυξὶ μᾶλλον βουλεύεσθαι τὰ περὶ τῶν ἀναγκαίων, ἀγαθόν ἐστι, ait. Ἐν νυκτὶ γὰρ εὐχερῶς τελεῦται βουλὴ, ἠρεμούσης ψυχῆς, ἐκ τῶν ἔξωθεν θορύβων: *modice vivere & vigilare & de nocte conſilium capere. De nocte enim coctius ſolet provenire conſilium, quieſcẽte mente à tumultibus externis.* Leo deniq; Imp. Conſtit. 20. §. 6. Μέγα προτέρημα, inquit, στρατηγοῦ τὸ συμμέτρως διαιτᾶσθαι, καὶ ἀγρυπνεῖν, καὶ ἐν ταῖς νυξὶ μᾶλλον βουλεύεσθαι τὰ περὶ τῶν ἀναγκαίων, καὶ γὰρ εὐχερῶς ἐν νυκτὶ τελεῖται βουλὴ, ὅταν ἡ ψυχὴ ἐκ τῶν ἔξωθεν θορύβων ἠρεμεῖ. Quæ verba prorſus eumdem cum Mauricii ſenſum faciunt, atq; attuli potiſſimum, ut videremus quid quiſq; à quo mutuatus eſſet. Pulcherrima verò verba ſunt Xenophontis. In oratione de Ageſilao: οὐ μὴν ὕπνῳ γε δεσπότῃ, ἀλλ' ἀρχομένῳ ὑπὸ τῶν πράξεων ἐχρῆτο. *Somno non ut Domino ſed ut ſervo, quiq; graviobus ſeriis curis concederet, utebatur.* Atq; hæc cauſſa procul dubio fuit, cur Lacodæmonii nocturnos frequentarint conventus, quorum mentionem facit Plutarchus ex Platone, quibus conveniſſe ait ſolum præcipuos ac Reip. gerendæ gnariſſimos viros, inq; eos conventus res maximas & altiſſimæ deliberationis rejectas. Porrò cur Nox gravioribus hujusmodi deliberationibus aptior

*In Sympoſiacis Quæſt. 9. lib. 7.*

aptior

aptior & consiliis melior: Licuit discere ex his quæ attulim9 ex gravissimis auctoribus: sed audiam9 scribtorem quoq; piũ non minus quã eruditum Clementem Alexandrinum. l. 5. *eâ ratione*, inquit, *noctem vocasse prisci Euphronen mihi videntur, quoniã anima tunc â sensibus cessans magis magis intra se convertitur & prudentiæ fit capacior: Vnde & sacra mysteria noctu frequentius celebrata, ut significaretur illa animæ â corpore contractio & quidam veluti χωρισμὸς*: Quod proculdubio hausit à Plutarcho, cujus hæc quoq; verba sunt. *Noctem velut amicam intelligentiæ Euphronen appellabãt videl. arbitrantes, quietem illam nullis interpellantibus aliis rebus, multũ habere momenti, ad inventionẽ eorum quæ inquiruntur.* Ista porrò Quies nihil est aliud, quam silentium de quo initio monuimus: Ratio verò cur Silẽtium vegetioris mentis causa sit, est hæc: Dũ anima extra diffunditur, quod maximè fit in sermone, vires internæ veluti in lingvam fluunt, interea internum animæ opus, intellectio, debilitatur: nam cum uni operi intendit anima, in aliis exercendis hebescit: Vnde Aristoteles monebat, ne pueri post pubertatem amplius Gymnasticâ exercerentur; Labor enim corporis qui ad motivam animæ facultatem pertinet, obtundit aciẽ mẽtis externarumq; functionũ interiores hebetãtur, veluti conversim otio earũ

lib. περὶ πολυπραγμος:

8. de Rep. c. 4.

perficiuntur. Verba Philoſophi quia valdè ſunt ſignificantia, ſubjungam. Ἅμα, inquit, τῇ διανοίᾳ καὶ τῷ σώματι διαπονεῖν οὐ δεῖ. Τοὐναντίον γὰρ ἑκάτερος ἀπεργάζεσθαι πέφυκε τῶν πόνων ἐμποδίζων, ὁ μὲν τοῦ σώματος πόνος τὴν διάνοιαν, ὁ δὲ ταύτης τὸ σῶμα. *Nam uno tempore & mente & corpore laborem ſufferre non oportet. In contrarium enim uterq; labor vergit & corporis* quidem *menti, mentis labor corpori impedimento eſt.* Oſtendit ſignis elegantibus ingenioſiſſimus Arabum. *Signo primum eſt,* inquit, *quod hominibus cogitabundis aut in alta cogitatione defixis facilè ſomnus obrepit, virtutibus videlicet extrinſecus ſentientibus intrò verſis. Quid quod homines cogitabundi, ut rectiùs rem intra animum expendant, oculos ſponte claudunt & dormientibus ſimilimi redduntur ipſi à ſe.* Quod obſervatum quoq; doctiſſimo Judæorum ſive Platoni Chiſtiano Philoni, cujus verba appono lubens: Ὅταν τι βουλόμεθα ἀκριβῶς νοῆσαι, εἰς ἐρημίαν ἀποδιδράσκομεν, καταμύομεν τὰς ὄψεις, τὰ ὦτα ἐπιφράττομεν, καὶ ἀποταττόμεθα ταῖς αἰσθήσεσιν. Et memorabile eſt in hanc rem, quod ſcribit Bodinus de Muleaſſe Afro ex P. Jovii relationibus, eum, ut ſuavitatem ac dulcedinem, quæ ab harmoniâ proficiſcitur, jucundius molliusq; hauriret, oculos velare ſolitum, quod duobus ſenſibus duplicem voluptatem ſimul

*Averr. lib. de divin. per ſomnum.*

mul

mul percipi non posse didicisset. Ac nota est Historia Philosophi, qui seipsum excæcavit, ut liberius & sine remoris philosophari posset. *Democritus ap. Agell. lib. 10. cap. 17.* II. Signum est, quod qui nati sunt cæci aut surdi, in iis validiores apparent vires animę interiores, quod item in somno somniantes amicas suas suavius oblectantur, quam si revera cum eâ essent, quod ligatis veluti sensibus exterioribus, imaginatio præstantius speciem offert; Quod item ad alia intenti delata sub oculis non videmus, sermones aliorum non audimus. III. Signum est, Quod potentiâ una læsâ alia redditur validior: sic enim qui altero oculo casu privantur, altero postea acutius cernunt, & qui parum cernunt, solent acutè audire. Immò una caussarum, propter quas melius audimus noctu, & hæc: quod aliis sensibus externis propemodum feriantibus, auditus invalescit. Solitudinem igitur quærant quicunq; seriis operam dare volunt, siquidem & merulæ in remotis tesquis fringultiunt, lusciniæ in solitudine Africanâ canticum adolescentiæ garriunt, olores apud fluvios carmen senectę meditantur. In quibus delicatissimis Apuleii verbis sisterem nisi & hic legi *3. Florid.* vellet insignis locus Hippocratis super hac materiâ. Ποθέουσι δὲ ἄνδρα, καὶ ἡσυχίαν οὐ πάνυ *Epist. ad Philopoemenem.*

πάντως οἱ μανέντες· Ἀλλὰ καὶ οἱ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ὑπερφρονήσαντες ἀταραξίης ἐπιθυμίῃ. Ὁπόταν γὰρ ὁ νοῦς ὑπὲρ τῶν ἔξω φροντίδων κοπτόμενος ἀναπαύσεσθαι τὸ σῶμα: τότε ταχέως εἰς ἡσυχίην μετήλλαξεν. Εἶτα ἀναστὰς ὄρθριος ἐν ἑαυτῷ περισκοπεῖ κύκλῳ χωρίον Ἀληθείης, ἐν ᾧ οὐ γυνὴ, οὐ τέκνα, οὐ μήτηρ, οὐ κασίγνητοι, οὐ συγγενεῖς, οὐ δμῶες, οὐδ᾽ ὅλως οὐδὲν τῶν θόρυβον ἐμποιούντων. Πάντα δὲ ἀποκεκλεισμένα τὰ ταράσσοντα ἕστηκεν ὑπὸ φόβου, οὐδὲ πλησιάσαι τολμέοντα ὑπὸ εὐλαβείης τῶν αὐτόδι οἰκεόντων. Οἰκέουσι δὲ τὸ χωρίον ἐκεῖνο τέχναι καὶ ἀρεταὶ καὶ θεοὶ καὶ Δαίμονες καὶ βουλαὶ καὶ γνῶμαι. καὶ ὁ μέγας πόλος ἐν ἐκείνῳ τῷ χωρίῳ τοὺς πολυκινήτους ἀστέρας κατέστεπται. *Non insani solum antris & solitudinibus delectantur, sed etiam illi qui res humanas tranquillitatis desiderio contemnunt: Ubi enim mens externis curis fracta, corpus quietem agere voluerit, tunc statim in tranquillitatem convertitur. Inde quasi antelucúlo resurgens in semet conversa veritatis regionem quasi in circulo circumspicit, in qua non mulier, non liberi, non mater, non fratres, non cognati, non servi, nihil denique eorum, quæ tu multum in animo concitant: sed illa omnia præ metu exclusa sunt, nec propius accedere audent præ majestate illorum, quæ ibi habitant: Incolunt autem illam regionem artes & virtutes, & Dij & Dæmones, & consilia, & sententiæ, & magnus polus in illa regione varij motus stellas circumdat.* Caput



# CAPVT X.

## *Librorum mors ignis.*

VAldè me affecere verba Senecæ quæ adſcribam, fortean & aliòs movebunt: Cum Labienum Oratorem multis commendaſſet, tamdem ita ait: *Libertas ei tanta ut, quia paſſim ordines hominesq; laniabat, Rabienus vocaretur, animus per vitia ingens & ad ſimilitudinem ſui ingenii violentus, & qui Pompejanos ſpiritus in tantâ pace nondum poſuiſſet. In hunc primum excogitata eſt nova pœna: Effectum enim eſt per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur, Res nova eſt & inſueta, ſupplicia de ſtudiis ſumi: Bono hercule publico iſta in pœnas ingenioſa crudelitas poſt Ciceronem inventa eſt. Quid enim futurum fuit, ſi ingenium Ciceronis triumviris libuiſſet proſcribere. Quæ vos dementiſſimi homines tanta vecordia agitat: parum videlicet in pœnas notæ crudelitatis eſt? Quod ab omni patientia rerum natura ſubduxit, ſicut ingenium memoriamq; nominis, invenitis, quomodo perducatis ad eamdem rem corporis mala. Facem ſtudiis ſubdere, & in monumenta diſciplinarum animadvertere, quanta materia ſævitiæ eſt. Dî melius, quod eo ſeculo iſta ingenio-*

*rum*

*rum supplicia ceperunt, quo & ingenia desierunt.* Valdè inquam hæc me affecerunt verba. Quæ enim dementia est in innocentes libros & nihil prorsus patientes sævire præsumere: Furiosus sapientibus ille & merito reputatur, qui mari compedes aut verbera infert, aut qui cum Plautino servulo manus sive pugnos ad parietem domat vel exercet: Et quid mali libris si urantur, ustiles non minus ut ligna. Si libido hæc in improbæ solum lectionis libros grassaretur, ferri res posset, & Leges jussere fieri. l. 4. §. 1. ff. familiæ erciscundæ. Sic exusti Magici etiam â

*Act.* 19. *v.* 19. Christi discipulis Ephesi: Livius gravis au-

*lib.* 40. ctor est Numę etiam Pompilii Regis commentarios combustos â Pætilio Prætore.

*in Numâ.* Quod factum Plutarchus non probat, sed eleganti Epiphonemate prosequitur: Ita n. ait: Τετρακοσίων δήπου γενομένων ἐτῶν, ὕπατοι μὲν ἦσαν Πόπλιος Κορνήλιος καὶ Μάρκος Βαίβιος. Ὄμβρων δὲ μεγάλων ἐπιπεσόντων, καὶ χώματος περιρραγέντος, ἐξέωσε τὰς σοροὺς τὸ ῥεῦμα: καὶ τῶν ἐπιθημάτων ἀποπεσόντων, ἡ μὲν ἑτέρα κενὴ παντάπασιν ὤφθη: καὶ μέρος οὐδὲν οὐδὲ λείψανον ἔχουσα τοῦ σώματος. Ἐν δὲ τῇ ἑτέρᾳ τῶν γραμμάτων εὑρεθέντων ἀναγνῶναι μὲν αὐτὰ λέγεται Πετίλιος στρατηγῶν τότε. Πρὸς δὲ τὴν σύγκλητον ὁρμῆσαι μὴ δοκεῖν αὐτῷ θεμιτὸν εἶναι, μὴ δὲ ὅσιον, ἔκποστα τοῖς πολλοῖς τὰ γεγραμμένα γενέ-

θαι

θαι. Διὸ καὶ κομεισθήσας εἰς τὸ κομίτιον τὰς βίβλους κατακαῦσαι. Πᾶσι μὲν οὖν ἕπεται τοῖς δικαίοις καὶ ἀγαθοῖς ἀνδράσι μείζων ὢν κατόπιν ὁ μετὰ τελευτὴν ἔπαινος τοῦ φθόνου πολὺν χρόνον οὐκ ἐπιζῶντος. Valerius Antias attestatur Plutarcho: ait enim fuiſſe duodecim volumina de rebus ſacris, duodecim alia de ſapientiæ ſtudio: neutra autem materia digna tali ſupplicio videtur. Secutus eſt hoc Exemplum Octavius Auguſtus de quo Suetonius: *Poſtquam Pontificatum maximum ſuſcepit, quidquid fatidicorum librorum Græci Latiniq; generis, nullis vel parum idoneis auctoribus, vulgò ferebatur, ſupra duo millia contracta undiq; cremavit, ac ſolos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condiditq; duobus forulis auratis ſub Apollinis Palatini baſi.* lib.2.c.31. Verum hæc & ſimilia facta falsè perſtringit Lactantius: *Inſipienter in concione populi,* inquit, *Libri tales cremati ſunt: quid enim profuit libros eſſe combuſtos, cum hoc ipſum, quod ſunt ideo combuſti, quia religionibus derogabant, memoriæ ſit traditum: Nemo ergo tunc in Senatu non ſtultiſſimus, Potuerunt enim & libri aboleri & res tamen in memoriam non exire. Ita dum volunt etiam poſteris approbare, quanta pietate defenderint religiones, auctoritatem religionum ipſarum teſtando minuerunt.* lib.1.c.22. Eadem clades poſtea Hæreticos aut hæreſeos quavis ratione ſu-

*Historia Eccles, lib. 2.* ſpectos attigit, ac Diocletianus quidem Imperator Chriſtianorum ſcribta flammis abolevit, ut auctor eſt Euſebius, & inſtituit poſtea Juſtinianus Imp. l. 6. & 8. C. de Hæreticis & l. 6. C. de Summa Trinitate: ut hæreticorum ſcribta igni traderentur. Eſtque poſtea ſub hoc colore in optimos quosque libros ſævitum, quâ de re graviſſimè olim Arnobius adverſus Gentes: *lib. 4.* *Quod ſi haberet vos aliqua pro veſtris religionibus indignatio, has potius literas, hos exurere debuiſtis olim libros, iſtos demoliri: Nam noſtra quidem ſcribta cur ignibus meruerint dari, in quibus ſummus oratur DEUS, pax cunctis & venia poſtulatur magiſtratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis adhuc vitam degentibus & reſolutis corporum vinctione, & quæ ibi ſequuntur plura.* Tandem adulta malevolentia & auctâ in immodicum improbitate libri aliarum quoque ſcientiarum uſti, inprimis qui continerent laudes virorum bonorum: *Neq; enim cum laudanda facere deſinerent homines, laudes aliorum ferre poterant: Unde non ſolum Aruleno Ruſtico Pœtus Thraſeas, Herennio Senecioni, Priſcus Helvidius* (verba ſunt Taciti *in Agricola c. 2.*) *laudati capitales fuere, ſed in libros quoq; eorum ſævitũ, delegato triumviris miniſterio, ut monumenta clariſſimorum ingeniorũ in comitio ac foro urerentur:* *Scilicet* (addit Hiſtoricus)

Historicus ) *illo igne vocem Populi Romani & libertatem Senatus & conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur. Expulsis insuper sapientiæ Professoribus, atque omni bona arte in exsilium actâ, ne quid usquam honestum occurreret.* Idem fatum fuit Orationum Scauri ap. Senecam. Idem Annalium Cremutii, quibus editis laudato M. Bruto C.
Cassium ultimum dixerat: Eos per Ædiles *Tacit. 4.*
cremandos censuere Patres, frustra deprecante & factum excusante insigni Oratio- *Annal. c. 34.*
ne Cremutio & vitam inediâ ultrò pænæ loco finiente auctore. Subjungit tamen Historicus: *Invito senatu manserunt occultati pòst editi.* Quo magis secordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentiâ & quia, ut Arnobius loquitur, plurimùm gladiis & potestate ferri valent, credunt exstin-
gui posse etiam sequentis ævi memoriam. *lib. 4.*
Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas, neque aliud externi Reges aut qui eadem sævitiâ usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperere. Super hujus Cremutii Cordi obitu lugentem filiam Martiam Consolatur libro doctissimo Seneca, qui legi potest, omnem enim hanc fabulam κατὰ μέρος narrat. Alia & justior fuit caussa, quæ & Fabricium Vejentonem Italiâ depulit,

 & libros

*Tacit 14. Annal. c. 50.* & libros ejus flammis addixit, quibus multa & probrosa in Patres & Sacerdotes composuisset & Codicillorum appellationem præscribsisset, itaq; nec improbata res Historico, *lib. de Irâ c. 9* Sicut & jure deinceps introducta per l. unicam C. de famos. libel. Sicut & Lactantius laudat Atheniensium factum, qui Protagoram providentiam divinam negantem, & finibus suis expulerunt, & libros ejus, quibus impietas ista continebatur, in concione exusserunt. Nec mitiores fuere *lib. 29.* qui successere deinceps: Scribit enim Ammianus Marcellinus sub Valente Imperatore congestos innumeros codices & acervos voluminum multos, & sub conspectu judicum concrematos, ex domibus erutos variis, ut inlicitos, ad leniendam cæsorum invidiam, cum essent pleriq; liberalium disciplinarum indices variarum & juris. In *lib. 12. c. 34.* Synodo Thessalica narrat Nizephorus Charicleam Heliodori Tricensis Episcopi opus Amatorium, quod hodiè Æthiopicorum titulo legimus, aboleri debere statutum, vel auctorem sede Episcopali cedere debere, auctorem verò posterius elegisse & locum alteri cessisse, ut scribta sua servaret. Ob quam caussam etiam Archilochi scribta *In Apophtl.* Lacedæmoni ex urbe exportari jusserunt *6. c. 3.* testibus Plutarcho & Valerio Maximo: &

sæpi-

ſœpius etiam Poetarum parum pudici libelli à quibus adoleſcentes ipſe quoque Ovidius inſignis nequitiæ Doctor arcet. Aboleantur igitur ſanè Impii in DEUM contumelioſi & ſtruprandis liberalibus moribus apti: ſed vigeant vivantque & gratâ mente volvantur libri boni & quâ publicè quâ privatim utiles. Judicium autem de Libris ferant, quibus oculus mentis nulla ſuffuſione, hoc eſt præjudicio, eſt vitiatus, non malevoli aut affectuum mancipia.

# DECADIS OCTAVÆ.

## Obſervationum Hiſtorico-Politicarum.

## CAPUT I.

### *Philoſophos etiam apud veteres vulgo pro deridiculo fuiſſe.*

SAnctiſſimum Philoſophi nomen, quod Modeſtia ipſa genuit, cum Sophiæ laudem DEO & beatis mentibus reſcriberet ſuo optimoq; jure, quam contemtum ſit hodiè, dolerem equidem niſi duo me revocarent: quorum alterum eſt, quod multi mẽtiuntur hunc titulum, alterum, quod olim

quoque melioribus, ut nos imaginamur nobis, seculis hominum vulgò deridiculo & voluptati fuere. Ut enim olim Socrates apud Platonem dicebat. *Sunt in misteriis multi quidem, qui gestant ferulam, Thyrsigeri scilicet, sed pauci profectò Bacchi*: Sic hodièque multos videas barbâ pallio & baculotenus Philosophos, paucos tales, ut nomen cluet, quique splendorem tam augusti nominis tueantur. Neque verò nulli priscis etiam seculis fuere, si modo Agellii fidem tutò sequi licet, qui larvas nobis tales complures
lib. 9, c. 2. graphicè describit: *Ad Herodem Atticum*, inquit alicubi, *adiit nobis præsentibus palliatus quispiam & crinitus, barbâque propè ad pubem usque porrectâ, ac petiit æs sibi dari εἰς ἄρτους: tum Herodes interrogat, qui homo esset? atque ille vultu sonituque vocis objurgatorio, Philosophum se esse dicit, & mirari quoque addit, cur quærendum putasset, quod videret. Video*, inquit *Herodes barbam & pallium, Philosophum nondum video. Comperit autem postea, ex illis, qui aderant, erraticum esse hominem & nullius rei incolamque esse sordentium ganearum, ac, nisi accipiat, quod petit, convitio turpi solitum incessere. Itaque demus, inquit, huic aliquid æris, cujusmodi est, tam-*

*tamquam homines, non tamquam Homini, & jussit dari pretium panis triginta dierum, professusque est dolori sibi & ægritudini esse, quod istiusmodi animalia spurca atque probra nomen usurpant sanctissimum & Philosophi appellantur.* De quibus verum est, quod Epictetus dicebat, referente Arriano & Agellio: *Cum, inquiunt, Animadverteret, hominem amisso pudore, importunâ industriâ, corruptis moribus, audacem, confidentem lingua, cæteraque omnia præter quam animum procurantem studia quoque & disciplinas Philosiphiæ contrectare & Physica adire & meditari Dialectica, inclamabat DEUM atque Hominum fidem, ac plerumque inter clamandum his eum verbis increpabat:* Ἄνθρωπε, ποῦ βάλλεις? σκέψαι, εἰ κεκάθαρται τὸ ἀγγεῖον, ἂν γὰρ εἰς τὴν οἴησιν αὐτὰ βάλλῃς, ἀπώλετο ἢ ἢν σαπῇ, οὖρον, ἢ ὄξος γένοιτο ἂν, ἢ τι τούτων χεῖρον. Quibus verbis maximus Philosophorum declarabat; literas atque doctrinas Philosophicas, cum in hominem falsum atque degenerem, tamquam in vas spurcum influxissent atque pollutum, verti, mutari, corrumpi, & quod ipse κυνικώτερον, urinam fieri, aut si quid est

*In Dißertat. lib. 17. c. 19.*

urinâ ſpurcius. Dicere etiam ſolebat Philoſophos hujuſmodi eſſe ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν. Quod in multis notaverat oderatq; Pacuvius quoq;, teſtatumq; fecit verſu inſigni, quem Macedo Philoſophus ſcribi debere cenſebat pro foribus omnium templorum:

Agell. lib. 13. c. 8.

*Ego odi, homines ignavâ operâ & Philoſophâ ſententiâ.*

quem levi immutatione hodieq; etiam pro foribus omnium templorum proſcribi velim:

*Ego odi homines ignavâ operâ, Theologâ ſententiâ.*

Accedebat porrò ad affectatam hanc ſapientiæ gloriam affectatus habitus totius corporis & morum: Inprimis autem triſtitia quædam moroſa & faſtuoſum ſupercilium, unde Græcis σκυθρωποὶ, hoc eſt triſtes & dira ruſticitate truces, Lucianus σκυθρωποὺς τὰ ἔξω appellat & alibi κατηφεῖς id eſt obſtipo capite & , ut loquitur Perſius, lumine terram figentes. Solebant etiam propter ſuperbiam τὰς ὀφρῦς αἴρειν, quod de illis Plutarchus, Κονίεται δὲ καὶ ψυχρολουτεῖ, καὶ τὰς ὀφρῦς αἴρει, καὶ φιλοσοφεῖν φήσι, καὶ σωφρονεῖν ἔξω τὸν νόμων. Et Lucianus: Μετεωρολέσχαι δὲ καὶ ὅσοι τὴν φιλοσοφίας ὀφρῦν ὑπὲρ αὐτοὺς τοὺς κροτάφους ὑπερήρκασι, σεμνῶν ὀνομάτων

Sat. 3.

In Erotico ἔρωσι.

τῶν

τῶν κομπεύμασι τοὺς ἀμαθεῖς ποιμαινέσθωσαν. Plato etiam Comicus Philoſophos nominat τὰς ὀφρῦς ἐπηρκότας καὶ τὸν φρόνιμον ζητοῦντας ἐν τοῖς περιπάτοις. Atq; ex his moribus vulgo riſui: Mulier quædam apud Philoſtratum cavillatur Philoſophos ut plerumque delirantes. *In vitâ Apolloni.* Apud Arrianum in Epicteto Philoſophus appellatur ζῷον γελοῖον. Apud Ammian. Marcellinum milites Julianum appellant ſpecie ſapientiæ ſtolidum Ein gelehrten Phantaſten. Tertullianus vocat Famæ negotiatores, veritatis interpolatores, ſapientiæ atq; facundiæ caupones, Credentium Adulteros, Patriarchas Hæreticorum &c. *lib. 17.* *Apologetici c. ult.* Apud Libanium Sophiſtam introducitur Paraſitus conquerens Regem ſuum à Philoſophis corruptum his verbis: *Declam. 11.* Τρόφιμος ἐκεῖνος πάντα ἦν ἐμοὶ, νῦν δὲ κεκλημένος νόσον χαλεπωτάτην καὶ οὐδὲ τὸ τῆς συμφορᾶς προσιδέσθαι μοὶ δοκεῖ. Δοκεῖ εὐδαιμονεῖν ἑαυτῷ, καὶ οὕτως οἴεται. Πράττει δὲ κάκιον, ὡς ἂν καθαρώμενος, μισεῖ τὸν πλοῦτον, ἀποστρέφεται τὴν τρυφὴν, τὴν προτέραν εὐδαιμονίαν συμφορὰν ἡγεῖται, τῶν δὲ παρόντων κακῶν ἐραστὴς ἐστὶν. Αὐχμηρὸς ἐστὶ τὴν κόμην, ὠχρὸς τὴν χρόαν, κατηφὴς τὸ βλέμμα, ῥυπῶν τὸ σῶμα, καὶ μέχρι ἱματίου τοιοῦτος. Ὑπαίθριος θαλαιπορῶν, χαμευνοῦν ἀνέχεται, τὸν ἥλιον φέρει, πρὸς κρύος ἀποδύεται. Κατείληπται δὲ καὶ τὸ αὐταρκὲς αὐτοῦ

μεταλαβεῖν αὐτὸν, καὶ ὕδατος, εἰς κόρον, ἐλθεῖν, καὶ βραχὺ καταδαρτεῖν. Τὰ πολλὰ τῆς νύκτος διαγρυπνῶν μελαγχολᾷ. Τὸ δὲ ὅπως εἰς τοῦτο ἦλθε; Δεινοί τινες εἰσὶ παρ' ὑμῖν, ἐκείνους διαφθείροντες κακοδαίμονες τὴν τύχην αὐτοὶ οἷς οὐδὲν ἔργον, ἢ τὸ τιμωρεῖσθαι σφᾶς αὐτοὺς, ὡς ἀδικοῦντας καὶ πιέζειν ἀγρυπνίᾳ καὶ λιμῷ καὶ πόνοις. Τοὺς ὠχριῶντάς γε τοὺς ἀνυποδέτους, τοὺς γυμνοὺς ἐξ ἡμισείας. οἷς ἀπεύξαιτο ἄν τις ἐπιτυχεῖν. Ἐκεῖνοι τὸν τρόφιμον λαβόντες κατεγοήτευσαν πολλοῖς ῥήμασι, παθόντες μὲν οὐδὲν δυσχερὲς, ὅτι δ' εὐδαιμόνει, φθονήσαντες καὶ σπεύδοντες αὐτοὶ μὴ μόνον ζῆν ἐλεεινῶς, ἀλλ' ὅτι καὶ τοὺς ἄλλους ὁρᾶν ἐν τοῖς ἴσοις. Γόητες ἄνθρωποι καὶ πονηροὶ, καὶ πάντα πεῖσαι δυνάμενοι, ὧ καλῶς ἡ τύχη κατεψηφίσατο ταῦτα, ἐν οἷς εἰσὶ, πενίαν, παρανοίαν, λιμὸν, τότε θνήσκοντας ἐν ἀνθρώποις εἶναι: Οὗτοί μοι τὸν τρόφιμον ἀπολωλέκασι: Quæ latinè ita reddidit Federicus Morellus Vir Cl. *Altor quondam meus erat omnia mihi, nunc autem gravissimo morbo conflictatur, neq; calamitatis magnitudinem perspicere mihi videtur: sibi tamen beatus ac fortunatus videtur, & cum ita existimet, peius tamen se habet, quasi sibi ipsi imprecatus. Divitias odit, delitias aversatur, priorem felicitatem cladem arbitratur, præsentium malorum amator est, squallidâ cæsarie, pallido cutis colore, obtutu mæsto, corpore sordente, nec pallio cultio-*

*cultiore, sub dio se affligens, humi cubare sustinet, solem tolerat, ad frigus exsuitur. Adde quod mediocri admodum cibo alitur, aquâ verò sitim explet abundè, paullùm dormit, magnam noctis partem pervigil atrâ bile agitatur. Qui autem huc adductus sit videte. Horrendi quidam sunt apud vos, qui aliis labem inferunt, infortunati ipsi sorte, quibus aliud munus nullum est, quam ut seipsos crucient tanquam injurios & pervigiliis opprimant, & fame & laboribus perimant pallidos, discalceatos, dimidia corporis parte nudatos, quibus, vel si quis occurreret, imprecaretur. Illi meum Regem correptum fascinaverunt flumine verborum, nihil molestiæ perpessi, ejus tantum felicitati invidentes, idque solum satagentes, ut non ipsi solum miseri vivant, verum etiam ut alios in iisdem casibus versantes videant. Incantatores & pravi homines, atque omnia suadere potentes, quos præclarè & meritò fortuna condemnavit iis suppliciis, quibus anguntur, inopiâ, vesaniâ fame, & ut morientes sensim inter homines vivant. Isti sunt, qui Regem altoremque meum profligarunt.* Apud eumdem Libanium introducitur Pater quidam consultans secum, quo filium deducat, ubi quam rectissimè instituatur. Declam. 37.

Ἔνιοι μὲν οὖν, inquit, εἰς φιλοσόφους μὲ τὸν παῖδα πέμπειν ἐκέλευον, ὡς ἐν τοῖς ἐκείνων φροντιστηρίοις

Τῆς

τῆς ἀρετῆς ἐνοικούσης. Ἐμοὶ δὲ τὸ μέν τι τῶν ἀνθρώπων ἤρεσκε, τὸ δ᾽ ἠχθόμην. Τό μὲν γὰρ αὐχμεῖν καὶ κουριᾷν καὶ ἡ ἀλουσία, καὶ τὸ μὴ πλείω τῶν τεττίγων ἐσθίειν, νοῦν ἔχειν ἐφαίνετο, τὸ δὲ χρημάτων ἀμελεῖν, καὶ διασύρειν ἐν ἀνθρώποις τὰ κράτιστα, μελαγχολώντων καὶ πλεῖστον ἀφεστώτων τοῦ τὰ δέοντα εἰδέναι. *Nonnulli, ut ad Philosophorum Scholas mitterem puerum suadebant, quasi in illorum auditoriis virtus sedem haberet. Mihi autem virorum mores partim placebant, partim displicebant: Nam quod squallidi & tonsuræ studiosi illotiq; sunt, & non plus quam cicadæ comedunt, mente præditi videntur. Quod autem negligunt opes, & vellicant, quæ inter homines præcipua censentur, atra bile laborantium est & eorum, qui plurimùm absunt à cognoscendis iis quæ in rem sunt.* Hæc ex facundissimo scribtore, qui in paucorum hodiè manibus versatur, dignissimus omnium lectione: Sed hæc disertius Morellus. Romani etiam ferè Philosophiam oderant, aut si qui paullò magis ejus amore tenerentur, timidè tamquam ad libidinis aliquem scopulum eò mentem appellebant, Jactabantque illud Neoptolemi Enniani: Philosophandum esse paucis, nam omninò nõ placere, sive ut est apud Agellium, Degustãdum ex Philosophiâ, non ingurgitandum in eam. Sed videlicet illi Reipubl. solum

*l. 5. c. 16.*

vivebant

vivebant non ſibi aut ſcholæ. Itaque minus culpandi: Ea verò quæ contra Philoſophos dicta adtulimus, quæ alia adferunt paſſim ſcribtores, à duplici fonte manaſſe puto: alter Veritas eſt, quæ fucum ſibi fieri non patitur, ideoque invehitur in palliatos illos PſeudoPhiloſophos, & detrahit perſonatis iſtis fratribus larvam, ut cujus coloris ſint, atri an albi, norint omnes & caveant: alter inſcitia eſt, plerumq; enim, quæ ignoramus & quorum incapaces ſumus, ea contemnimus, & aſpernamur, nec hoc modo: ſed & traducimus & publici odii victimam eſſe volumus. Ille fons purus eſt & illimis, & omnium laude & calculo dignus. Alterum oſtendit mihi Galenus, ſive quiſquis eſt auctor lib. de Arte: Μούνοισι τοῖσι ἀτεχνοῖσι ἁρμόζει τὰ τῶν πέλας ἔργα ἢ ὀρθὰ ἐόντα διαβάλλειν, ἢ οὐκ ὀρθὰ μωμέεσθαι. *Solis iis qui artis ignari ſunt, aut ambitioſi, quiq; invident propter imperitiam, aut meliora præſtare non poſſunt (hi enim ſunt* ἄτεχνοι*) convenit, ut ad aliorum opera vel recta calumnianda, vel non recta reprahendenda ſe convertunt.*

*Caput*



## CAPUT II.

### *Quibus subsidiis quis munitus esse debeat qui res novas moliri velit.*

lib. I. Belli Gallici.

SÆpe me tenuit apud C. Julium Cæsarem: Oratio Lisci de Dumnorige res novas apud Æduos moliente, fecitque dubitare, graviusne illa an verius dicerentur: Itaque placuit hic proponere & examinare, neque invito, ut spero, Lectore. *Cum itaq; petenti Cæsari commeatum ab Æduis, moræ necterentur, diemq; illi ex die ducerent, & conferri, comportari, adesse semper dicerent, ubi ipse se diutius duci intellexit, convocatis eorum Principibus, inprimis Divitiaco & Lisco, graviter eos accusat, quod cum neq; emi, neq; ex agris sumi posset commeatus, tam necessario tempore, tam propinquis hostibus, ab iis non sublevetur. Tunc demum Liscus oratione Cæsaris adductus, quod antea tacuerat, proponit: Esse nonnullos quorum auctoritas apud plebem plurimum valeret, qui privati plus possint, quam ipsi Magistratus: hos seditiosâ atq; improbâ oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant. His*

*His autem verbis Dumnorigem Divitiaci fratrem notabat, de quo plenius postea Cæsari testimoniis aliorum quoq; confirmata narrat hæc. Esse ipsum summâ audaciâ, magnâ apud plebem propter liberalitatem gratiâ, cupidum rerum novarum: Complures annos portoria vectigalia parvo pretio redemta habere, propterea, quod, illo licente, contra liceri audeat nemo. His rebus & rem suam familiarem auxisse, & facultates, ad largiendum magnas comparasse: magnum numerum Equitatus suo sumtu semper alere & circum se habere, neq; solum domi, sed etiam apud finitimas civitates largiter posse. Atq; hujus potentiæ caussâ, matrem in Biturigibus homini illic nobilissimo ac potentissimo collocasse, ipsum ex Helvetiis uxorem habere, sororem ex matre & propinquas suas nubtum in alias civitates collocasse, favere & cupere Helvetiis, propter eam adfinitatem: odisse etiam suo nomine Cæsarem & Romanos, quod eorum adventu potentia ejus deminuta, & Divitiacus frater in antiquum locum gratiæ atq; honoris sit restitutus. Si quid accidat Romanis, summam in spem regni per Helvetios obtinendi venire, imperio Pop. Rom non modo de regno sed etiam de eâ quam habeat, gratiâ desperare.* Hæc ibi de Dumnorige Liscus, Ex quibus eleganter perspici potest, quibus se munire præsidiis

diis debeat rerum novarum in Republica aliquâ cupidus, quique cum ſtatus ſui qualitate contendens, ut loquitur Boethius dubiis præſentia poſtponit. Ea ordine diſcutiemus. Primum igitur Dumnorix erat ſummâ audaciâ. Audacia primum ſibi vendicat locum, hoc eſt inconſulta temeritas, quæ ſolatur ſe leviſſimo numine Fortuna, incumbitque arundini: Hinc illa veterum:

2. de Conſil. Phil. proſ. 4.

Ennius *Fortibus eſt Fortuna viris data.* & Virgil:

7. Annal.

*Audentes fortuna juvat timidasq; repellit*

Ovid. —— *Audentes Forſq; Deus juvat.*

2. Faſt.

Seneca: *Fortuna fortes metuit, ignavos premit.*

Medeâ viſus

Claud. *Fors juvat audentes, Coi ſententia vatis.* Philetam innuit Coum, qui primus ſententiam hanc uſurpaſſe dicitur. Pertinet huc & ille verſus: *Audere magnum nil manus poſſunt rudes*, quanquã alio ſenſu Senecæ uſurpatur. Fuit talis audacia in Smerdi Mago, qui tot proceribus tam diu impoſuit, auribus etiam præciſis mutilus Perſarum regno menſes præfuit ſeptem. Non minor in Catilinâ apud Romanos, de quo Salluſtius: *L. Catilina magna vi & animi & corporis, ſed ingenio malo pravoq; animus illi audax, vaſtus, immoderata incredibilia nimis alta ſemper cupiebat.* Talis Cæſar Borgia qui animum ſuum

Iuſtinus Mergidem appellat.

ſuum Emblemate præferebat, quod erat *j Cæſar, j nullo.* Profluit autem hæc audacia è duplici, ut plurimum, fonte, quorum alter minus improbus, quem amorem ſui nimium voco, alii animi altitudinem appellant. Cadit ea in homines etiam non ita malos, ſiquidem magnanimi dolent, ſi meritis ſuis præmia & dignitates non reſpōdeant. Quoſdam etiam conſuetudo imperandi inducit, ut, cum videantur non poſſe eſſe amplius privati, turbent, tanquã angvillæ aquas, & res novas moliantur, firmareq; ſibi potentiam laborent. Cuius rei inſigne Exemplum habemus in Ludovico Sfortiâ, qui cum ex fratre nepotis Provincias nimis diu gubernaſſet, juſſus decedere, totam maluit turbare Italiam & evoca re Gallos contra eam, quam imperio, cui ad ſueverat, abire. Quoſdam aliqua injuria urit ut Coriolanum apud Romanos, & Narſetem recentiori in Hiſtoria, Carolum Borbonium in recentiſſimâ Patrum noſtrorum ætate. Alter fons eſt animus conſcius quâ ſcelerum, quâ miſeriæ ſeu inopiæ quando, ut loquitur Tacitus 1. Hiſt. c. 22. compoſitis rebus nulla ſpes, omne in turbido conſilium. Pericles ſanè, cum metueret, ne, propter collocatam malè pecuniam publicam, in judicium capitis vocaretur,

bellum Peloponnesiacum, quo patria eius Athenæ, interiit, excitavit, suggerente consilium puero Alcibiade, ut auctor est
In Apophт. Plutarchus. Idem contra patriam armavit Catilinam, de quo Sallustius: *Agitabatur magis magisq; in dies animus ferox inopia rei familiaris, & conscientia scelerum*, quæ utraque auxerat suis artibus, quas ante memoraverat Historicus. Ipse quin etiam C. Iulius Cæsar ex utroque hoc fonte imbibit consilia sua de occupanda patriâ.
c. 30. Ita enim de eo Suetonius: *Timuisse quidam eum dicunt, ne eorum, quæ primo consulatu gessisset adversus auspicia legesq; & intercessiones, rationem reddere cogeretur, cum M. Cato identidem, nec sine juramento denunciaret, delaturum se nomen eius, simul ac primum exercitum dimisisset, cumq; vulgò fore prædicarent, ut si privatus rediisset, Milonis exemplo circumpositis armatis caussam apud judices diceret.* Quod probabilius fecit Asinius Pollio: Pharsalicâ acie cæsos profligatosq; adversarios prospicientem, hæc eum ad verbum dixisse referens: *Hoc voluerunt; tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petiissem.* Atque hic unus est fons. Alter his verbis docetur: *Quidam putant, ca-*

*ptum*

*pium Imperij consuetudine, pensitatisq; suis & inimicorum viribus, usum occasione rapiendæ dominationis, quam ætate primâ concupisset: Quod existimasse videbatur & Cicero.* In quibus verbis nota mihi illud: *pensitatisq; suis & inimicorum viribus.* Solent enim aucupari occasiones cupidi rerum novarum & considerare tempora: Quomodo & Catilina, de quo disertè Sallustius: *incitabant præterea ipsum corrupti civitatis mores, quos pessima ac diversa inter se mala, luxuria atq; avaritia vexabant:* & iterum: *In Italiâ nullus exercitus, Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat: ipsi Consulatum petundi magna spes: Senatus nihil sane intentus: tutæ tranquillæq; res omnes sed ea prorsus oportuna Catilinæ.* Et D. Augustus circa hoc cautus, de quo Tacitus: *eum tum demum Romam nomine Principis sub imperium accepisse, cum omnia essent discordiis civilibus fessa.* Quod docuerat credo eum Philippus Macedo, qui, cum Græciæ civitates imperare singulæ cuperent, contentiones earum callidè alebat, auxiliumque inferioribus ferendo victos pariter victoresque ita attrivit, vt servitutem ultro subirent, eique imperium deferrent. Verum de Audacia, quæ rerum

novarum cupidum, animare ſolet, nunc ſatis. Pergamus ad alia.



## CAPUT III.

### *Dumnorix magna apud Plebem propter liberalitatem gratia.*

ALterum, quod Liſcus in Dumnorige notat, eſt popularis gratia liberalitate quæſita & parta. Elegans eſt Plauti verbum:

*Pænulo ſc. jam iſtuc.*

*Viam qui neſcit, qua deveniat ad mare,*
*Eum oportet amnem quærere comitem ſibi.*

Ita prorſus, qui rerum eſt novarum cupidꝰ, populum ſibi comitem quærere debet, primum quia multum momenti rebus adferre poteſt, deinde, quia facile movetur & propellitur, veluti pilæ inſtar: Momenti multum: quoties enim populus oculos ad multitudinem ſuam referre ſolet, truculentis vocibus ſtrepere incipit, & magiſtratum ipſum viroſque ſublimes in ordinem redigere. Movetur autem facilè primum, quia beſtia eſt multorum capitum: deinde quia delectatur mutatione rerum, unde ap. Tacitum mobile dicitur ſi ducem reperiat.

*3. Hiſt.*

& de-

& denique quia facile succenset constitutis in imperio; eorumque judicia improbat. Corrumpitur autem populus ut plurimum liberalitate & donis. Cum enim plurimi in Republ. constituant populum, iidemque sint pauperes, pauci enim semper divites, plures pauperes; non est facilior ratio conciliandæ plebis quam donis & muneribus, quibus mediis etiam olim Romæ militum gratia quæsita est, & occupata. Hinc de Augusto Tacitus eleganter: *Augustus*, inquit, *ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otij pellexit, insurgere paullatim, munia Senatus, Magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante: cum ferocissimi per acies aut proscribtione cecidissent: cæteri nobilium, quanto quis servitio promtior, opibus & honoribus extollerentur, ac, novis ex rebus aucti, tuta & præsentia quam vetera & periculosa mallent.* (1. *Histor.*) Eadem de Ottone narrat. De Cosmo Medice Macchiavellus. Corrumpitur porrò etiam populus Eloquentiâ & facundiâ Oratorum suorum, qui ei serviliter adulantur, & viros generosos in odium ejus & invidiam inducunt: Sunt enim Oratores plerique φιλότιμοι, ἐριστικοὶ, θρασύδειλοι, πολυφώνιοι, & ad has res abutuntur lingua & Oratoria facultate, quam rectius collocare poterant: Tales erant apud Græcos De-

 mades,

mades, qui ipſe de ſe: τὰ ναυάγια τῇ πατρίδι ſe πολιτεύειν, naufragia ſe patriæ cudere: Pericles, Demoſthenes, Piſiſtratus, alij: *lib. 3.* Apud Romanos Tribuni Plebis, de quibus multa vide apud Ciceronem libris de Legibus. Memorabilis autem eſt locus ille: *Mihi quidem peſtifera illa poteſtas videtur, quippe quæ in ſeditione & ad ſeditionem nata eſt, patribus illa omnem eripuit honorem, omnia infirma, ſummis paria fecit, turbavit, miſcuit omnia.* Inde factum ut Tribunitius mucro in proverbium abierit. Hodiè tales Demagogi ſunt Concionatores quos appellamus, quos Philo pulcherrimè deſcribit, dum καλαμοσφάκτας & ταραξιπόλιδας calamis jugulantes & urbium turbatores appellat, qualis olim fuit Rokizana Georgio à Cumſtad Podiebracio Bohemiæ Regi apud Dubravium, de quo inter alia: *lib. 30. Hiſt. Boiem.* illum ſuis concionibus tribunitijs non ſolum ad arma Regem compuliſſe, ſed & Pragæ ſolum omnia adminiſtraſſe. Talis fuit Iohannes Crapidola Cojenſis Epiſcopus, qui totus etiam ſanguinem ſitiebat & ſpirabat. Neque hodie nulla ſunt exempla. Denique rerum novarum cupidi, permittendo plebi voluptates & comi-

connivendo ad flagitia, plebem lucrifaciunt, quod usurpavit quoq; Augustus, *1. Annal. c. 54* de quo Tacitus. Neque ipse abhorrebat talibus studijs & civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Nam ut idem alibi: *14. Annal. c. 14.* *Voluptatum cupiens vulgus, & si eò princeps trahat, lætum, quando videlicet Nero etiam Romæ se in omnes libidines effudit.* Vitellius item: qui & omnem infimæ plebis rumorem in Theatro, ut spectator, in circo, ut fautor, affectabat. Sic *lib. 42.* peccata quod attinet, impune transmittebat Rex ille Macedonum apud Livium, non quia probaret, inquit Historicus, sed, quia in novâ possessione regni patienda omnia, didicisset: Sic Tiberius initio Principatus sui rectè sentiebat, non id tempus censuræ esse, nec attrectandum quod non obtineretur. Docuerat hoc illum Alexander apud Curtium: *In novo & precario imperio, adhuc jugum eius rigidâ cervice subeuntibus Barbaris, tempore opus est; dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior consuetudo permulcet.* Vnde & ipse Tiberius, *Tacit. 1. Annal. c. 54.* quamquam alia ei morum via, non audebat tamen initio populum per tot annos molliter habitum ad duriora vertere.

*lib. 5. de vitâ Apollon. c. 13.* Hinc Philostratus Vespasianum per Apollonium monet: Τὰς ἐμπολιτευμένας ἡδονὰς τῇ Ῥώμῃ δοκεῖ μοι ὦ βασιλεῦ ξυμμέτρως παύειν, χαλεπὸν γὰρ μεταβαλεῖν δῆμον ἐς τὸ ἀθρόως σῶφρον, ἀλλὰ δεῖ κατ' ὀλίγον ἐμποιεῖν ῥυθμὸν ταῖς γνώμαις τὰ μὲν φανερῶς, τὰ δὲ ἀφανῶς διορθούμενος. *Voluptates Romanis insitas oportet meo judicio paullatim auferre. Difficile est enim populum ad vitam omnino modestam repente traducere: sed oportet mediocritatem quandam illorum mentibus partim apertè partim occultè inserere & sic emendare.* Ex quibus patet hac arte uti non eos solum, qui affectant imperium, sed & eos, qui recèns consecuti sunt, quod consilium est quoq; Aristotelis, *6. Politic. c. 4.* additâ caussa gemina: *Sic* inquit, *plebs præsentem Reipublicæ statum amabit, caussa una: plerisq; enim lubet dissolutè vivere.* Caussa altera. Qui pessimo ingenio sunt rerum novarum cupientes, quique, Cleonis imitatores sunt, de quo Aristophanis exstat versus:

Πράττει, βουλεύει, πολεμίζεται.

hoc est, *factionibus & studiis se munit, & consultat contra Rempublicam linguâque velitatur & bella serit:* hi tales fecem plebis sibi copulant, dignum patella operculum. Catilina apud Sallustium turbare Rempubl. præsumens omnium flagitiorum atque facinorum cir-

rum cir-

rum circum se, tamqnam stipatorum catervas habebat. *Nam, quicunque impudicus, adulter, ganeo, alea, ventre, manu, pene, bona patria laceraverat, quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret: præterea omnes undique parricidæ, sacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judiciũ timẽtes, adhoc, quos manus atque lingva perjurio aut civili sanguine alebat; postremo, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat ii Catilinæ proxumi familiaresque erant. Quod si quis etiam à culpâ vacuus in amicitiam ejus inciderat quotidiano usu atque illecebris, facile par, similisque cæteris efficiebatur. Sed maximè adolescentium familiaritates appetebat, eorum animi molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur: nam ut cujusque studium ex ætate flagrabat, aliis scorta præbere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumtui, neque modestiæ suæ parcere, dum illos obnoxios, fidosque sibi faceret.* Tales apud Tacitum duo Julij Florus, & Sacrovir, exstimulatores rebellionis acerrimi ferocissimo quoque adsumto, aut quibus ob egestatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo. 3. Annal. c. 40. Talis nec alius fuit Verrina apud Thuanum in conjuratione Flisciana homo sermone efficax, manu promptus, ad expedienda negotia artificiosè audax, inexpiabili odio in no-

 biles

biles flagrans, plebis amicus, æris alieni magnitudine oppressus, privatis vulneribus tegendis turbandarum rerum occasiones quærens, facile adolescentem in illo fervore ætatis ad quodvis facinus aggrediendum impellebat. Talis in Senensi Repub. Iulius Salvius Dux plebis suorum & fraternorum bonorum prodigus decoctor ex publicis opibus privatas lacunas sarcire solitus. Tales innumeri: Quos tamen ut plurimum pœnituit facti. Vulgi enim natura mobilis & fluxa fides. Expertus est Ottho apud Romanos, sed cum exitio suo: *Postquam*, inquit Historicus, *Romæ clades Ottonis est audita, Pop. Romanus statim, ut par erat, sententiam mutavit, Ottoniq; quem laudaverat ante, & cujus victoriam optaverat, non aliter atq; hosti contumeliosè maledicere, ac Vitellium, quem detestatus ante fuerat, in cœlum laudibus ferre, atq; Imperatorem dicere.* Idem fatum plurimorum fuit imperatorum & Ducum sicut & ap. Græcos. In Florentinâ Historiâ Georgius Scalius cum triennium integrum plebis auctoritate fultus Tyrannidem in Repub. exercuisset, una actione, qua sontem & facinorosum quendam supplicio per vim eripuit, & plebis gratiam & caput ami-

*Macchiavell. l. 3. Hist. Flor. p. 167.*

amisit, docuitque exitio suo, auram popularem minimo quovis momento, ut acquirere, sic etiam amittere, haud difficile esse. Iusta tamen est ejusmodi temporibus querela Lisci nostri: Tales Plebicolas privatos plus posse quam Magistratum, atq; improbis suis oratiunculis efficere, ut salutaria Magistratuum consilia impediantur: Heu quam multi hodie tales.

## CAPUT IV.

### *Complures annos portoria vectigalia parvo pretio redemta habere, propterea, quod illo licente contra liceri audeat nemo.*

EGregium hoc quoque de alieno liberalitatis exercendæ & augendæ potentiæ strategema: *Primum portoria & vectigalia parvo redimere, deinde acriter & crudeliter exercere.* Respicit autem hoc loco morem veterum, quo Princeps aut Senatus vectigalia publica & portoria veluti sub auctione proscriberet, eique adsignaret qui plurimùm offerret: in quam rem insignis est locus Plutarchi in vitâ Alcibiadis. *Alcibiadis*, inquit, *incola quidam non admodum locuples, cum omnia distraxisset,*

*xisset, & quod inde redactum erat ad centum stateras ei offerret, orans ut acciperet, arridens lætusq; vocavit ad cœnam: Benignè accepto aurum homini reddidit, jussitq; ut redimentes postera die vectigalia publicâ licitatione superaret, detrectanti quod multorum talentorum esset licitatio, denunciavit, ni faceret, verbera: erat namq; privata ei quædam cum publicanis offensio & simultas. Manè igitur ad forum profectus incola addidit licitationi talentum. Ubi collatis capitibus indignantes publicani laudare jusserunt eum prædem, tamquam reperturus neminem esset. Perculso homine & jam recedente, procul stans Alcibiades Archontibus: Me, inquit, scribite, meus est amicus, ego pro illo spondeo; quo audito omne illorum consilium abscisum fuit. Soluti enim secundis redemturis dissolvere priores, non expediebant rei difficultatem. Precibus igitur hominem aggressi sunt oblata pecuniâ: sed non permisit Alcibiades, ut minus caperet talento. Quod ubi accepit, jussit eis vectigalia relinquere, atq; eâ ratione amico subvenit.* Ex quo loco multa haurio. I. morem, de quo dixi proscribendi vectigalia, qui obvius & frequentatus historicis. II. Sœpius non unum sed plures vectigalia redemisse, unde societas vectigalis apud Ciceronem & Tacitum &

*Tacit. 13. Ann. c 50.* alios. Fecisse hoc Equites testis Dio lib. 38. Perlata lege Agraria Cæsar Equitibus

tertiam

tertiam partem vectigalium, quæ nomine
redemturarum debebant remiſit: ipſi e-
nim omnibus vectigalibus præerant. Hinc
Cicero: Flos Equitum publicanorum or-
dine continetur. III. Lucroſam fuiſſe il-
lam vectigalium redemtionem, quia ſeverè
exercita eſſet, & cum lachrymis ſæpe eo-
rum, qui exigebantur. Unde perpetuæ de
exactorum in Repub. Rom. violentiâ, quæ
nonnunquam in vim proceſſere quærelæ.
Anno præſertim V. C. DCCXVI. Appio *Dio. lib. 48.*
Claudio C. Norbano Coſſ. plebs ſeditio-
nem eam movit, ut & cum Publicanis &
miniſtris militibusque, quos ii in exigendis
vectigalibus ſecum habebant, manus con-
ſeruerint. Et Neronis imperio crebris po- *Tacitus 13.*
puli flagitationibus publicanorū immode- *Annal. c. 50.*
ſtiam arguentis ipſum penè eo adactum le-
gimus, ut cuncta vectigalia omitti juberet,
idque pulcherrimum donum generi mor-
talium daret, quod tamen graviſſime Sena-
tus diſſuaſit, diſſolutionem imperii docen-
do, ſi fructus, quibus Reſpublica ſuſtinere-
tur, deminuerentur. Vectigalia igitur re-
dimebat etiam Dumnorix & facili ac par-
vo pretio, quia ipſo licente nemo contra li-
ceri auderet, ubi nota mihi fructum popu-
laris gratiæ & Demagogicæ adulationis:
Vectigalia redimebantur non niſi à diviti-
bus

bus & opulentis, in quos competebat illud Ovidi.

*Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.*

Cui concinit illud Homeri *Finis opum positus nequaquam est ullus avaris.* Hic vero divites, populi metu, cuius gratiam aucupatus erat Dumnorix obviâ liberalitate, contra eum licentem venire non audebant. Tria igitur consecutus erat unâ operâ: Unum: ut vectigalia redimeret parvo, sine adversario videlicet: Alterum ut auctis rigidâ violentaque exactione vectigalium opibus, metuendus esset potentiâque niti posset, si res novas moliretur. Tertium, ut semper tamen esset, unde populi favorem benemerendo tueretur & servaret? Sic C. Cæsar moliturus aliquid contra Patriam Exercitus favorem prolongatione administrationis Provincialis firmavit, & opibus simul ac potentiâ non mediocriter auctus est. Atque hoc est vires ac nervos patriæ in exitium eius vertere. Quod facile fit initiis levibus non animadversis. Itaque provideant Principes aut Rerum publicarum gubernatores, ne hirudines istæ (qualis apud Livium L. Pomponius Vejentanus, qui Publicanus appellatur omnibus malis artibus & Reip. & societatibus

bus infidus damnoſusque) aut populum ad turbas impellant, aut ipſi partis improbè & per vim extortis opibus ad ſcelus abutantur. Quod fiet, ſi & modum vectigalibus ponant, & frenum exactoribus injiciant, aut potius illis committant, qui freno non indigent, ſed viri ſint virtute & fidei integritate ſpectatiſſimi. Quod ſalutariter feciſſe Henricum IV. Galliæ Regem verè Magnum anno ſalutis CIƆIƆCI. die Aug. 15. legimus: Et Romæ olim Prætor, per provincias, qui pro prætore aut Conſule eſſent jura adverſus publicanos extra ordinem reddebant. Incidit tamen Reipub. tempus, cum ſuaderetur, exhortandos, qui redemturis auxiſſent patrimonia, ut Reipublicæ, ex quâ creviſſent, ad tempus commodarent. Hiſtoriam vide apud Livium: Ex quo & id diſces quod de ſocietatibus dictum 5. *Quum*, inquit, *veſtimenta & frumentum Hiſpanienſi exercitui mittenda eſſent: tres ſocietates hominum undeviginti id onus in ſe receperunt, hiſce pactis tamen, ne alij triennio futuro publicani eſſent, & quæ in naveis impoſuiſſent, ab hoſtium tempeſtatisq; vi, publico periculo eſſent, & ita privata pecunia Reſp. adminiſtrata eſt, ut quum pecunia in ærario eſſet, redemtoribus iis primis ſolveretur, & ſanè quemadmodũ magno omnia animo cõducta ſunt,*

*P. Matthæus l. 4. Hiſt. Navarreorũ 4. & Ioh. à Chokier in Theſauro Politico.*

*Tacitus l. 14. Annal. c. 51.*

*lib. 23. extremo.*

*sunt, ita summâ fide præbita, nec quidquam desideratum, ac si opulento, ut quondam, ærario alerentur.* Qui locus sanè notandus est.



## CAPVT V.

### *Magnum numerum Equitatus suo sumtu alere, & circum se habere.*

Duplex rursus signum animi res novas molientis: unum, quod Equitatum aleret: alterum quod circum se haberet. De utroque paucis. Ἱπποτροφία jam ab antiquo solum Divitum & præpotentum, unde mos talibus jactare se & populo ostentare equis suis: Auctor Isocrates περὶ τοῦ ζεύγους: Ἱπποτροφεῖν δὲ ἐπιχείρησας. ὃ τῶν εὐδαιμονεστάτων ἔργον ἐστὶν: φαῦλος δὲ οὐδεὶς ἂν ποιήσειεν. Et Demosthenes de quodam nobili μέγας καὶ
lib.6. λαμπρὸς Ἱπποτρόφος: Apud eosdem verò & suspecti qui Equitatu se feroces faciebãt: perspicuè id docet Thucydides, apud quem Niceas Alcibiadem in Oratione ad Athenienses his verbis pungit: *Quod si quis ad hanc præfecturam libens delectus hortatur vos ad navigandum, suarum tantum rerum rationem habens, præsertim, cum sit junior, quam ut Imperio*

*rio fungatur, admirationem ex eo quærens, quod immodicis sumtibus Equos alit, eâ magnificentia emolumenti aliquid & Imperatoriam dignitatem lucrifacturum se sperans: ne huic quidem concedere debetis, ut privatim splendeat periculo civitatis: sed existimare ab huiuscemodi hominibus res sæpe publicas lædi, privatas profligari.* Atque hoc omen Niciæ verificatum deinceps fuisse confirmat Thucydides. Non igitur sine caussa hoc Liscus in Dumnorige notat: Quod autem Equitatum semper circum se habuit, id quoq; invidiosum ei, quo accedit, & quod sequitur apud Cæsarem, *comperisse ipsum, ab Equitibus Dumnorigis in prælio fugæ factum initium. Custodia verò corporis se munire est eorum, qui neq; populi jussu, neq; auctoribus Patribus regnare tamen ambitiosè contendunt, neq; ad regnum quidquam præter vim afferunt*; ut loquitur de L. Tarquinio Livius. *lib. 1.* Exemplum nobile suppeditat Plutarchus in Solone: cuius in absentiâ cum seditio Athenis exarsisset tribus factionum Ducibus, Lycurgo Pædiæorum, Megacle Alcmæonis Paralorum & Pisistrato Diacriorum, regressus ille malis, quæ sagaci mente prævidebat, occurrere conatus est, sed irrito successu, neq; enim ad dicendum vel agendum vires ultrà aderant ei, præpediente senio, nec alacritas; cautis-

ſime autem omnium negotium ſuum agebat Piſiſtratus, blandus ac ſuavis in ſermone, liberalis & comis in pauperes, & magnus omnium rerum ſimulator atq; diſſimulator. Hic ergo ut tutus ab æmulis eſſe poſſet, ſe ipſum domi conſauciavit vulneribus aliquot, & exinde rhedâ in forum delatus, populum, tamquam inſidijs inimicorum Reip. cauſsâ eſſet circumventus, inflammavit, animadvertente dolum Solone & his verbis compellante: Parùm rectè, inquit, fili Hippocratis, Homericum Vlyſſem agis: fruſtra etiam renitente, ne plebs ad ea, quæ ſecuta ſunt conſilia, deſcenderet. Venit enim ad concionem populus, & qua ratione Piſiſtrato cautum ſatis eſſet, deliberare cœpit. Ibi Ariſto ſuaſit, ei quinquaginta ſtipatores corporis cuſtodes adſignari, quorum præſidio ab impetu hoſtili tutus eſſet, cui aſſenſum eſt. Piſiſtratus tempore uſus aſſumſit, neque quiſquam anxiè exinde de numero ſatellitum diſceptavit cum Piſiſtrato, quo aucto arcem ille & cum arce Tyrannidem occupavit. Cui Piſiſtrati facto, neſcio, an non adfine ſit Laurentij Medicæi (quem tamen perfectiſſimi Ducis Ideam fuiſſe non diffiteor, cum para-

parasset imperium, raro exemplo mutatorum in melius Principum) in adquirendo Principatu: *Is cum majorum gratâ memoriâ populo se charum animadverteret, de amicitiâ porrò Ducum Mediolanensium certus esset, altius loqui cepit: Senatu permittente incrementum auctoritatis, aut ut ne irritaret eum ad majora tentandum, aut, quod sciret, quanto cum periculo homines negotiis publicis adsueti, inde removeantur, & alij substituantur. Tandem captatâ occasione, cum Sixtus IV. Pontifex Romanus & Ferdinandus Arragonum Rex hostili in Remp. Florentinam animo essent, arripuit id, tamquam sibi & suæ familiæ exitium pararetur, convocatisque primoribus civium, in hæc verba eos allocatus est: Videre ipsos, quantis viribus Papa & Rex bellum parent, specie quidem in Rempub. sed reipsa in exitium suum & familiæ Mediceæ. Nolle verò se tam malè affectum esse in salutem publicam, ut non eam præferre cupiat propriæ suæ & suorum saluti, & propterea se numquam recusaturum exstinguere hunc ignem & finire bellum proprio suo sanguine, sicut etiam ceperit â fratris sui nece. Quâ oratione, populo sibi ante addicto, adegit principes Civitatis, ut vel contrà*

Petr. Matth. lib 2 Hist. Henrici IV. Navar. IV.

*animi sententiam responderent ei: Duraret & urbis præsidio niteretur, neq; enim salutem publicam ab ejus salute separari posse, utpote â cujus cõsiliis Reipublicæ firmitas & incolumitas jam diu pependisset, quæ nunc tam difficili tempore operâ ejus indigeret, eam ne desereret, aut in casum daret: Sic ille dissimulandi mirus artifex, quod vnicè concupiscebat, eleganti ἀκκισμῷ â se reiecit, ut honestius deinde usurparet.* Quomodo olim de Iuliano Imperatore Nazianzenus: *Illud,* inquit, *in illo admodum pravum & malignum, quod cum nec apertè nos in servitutem pertraheret posset, nec Tyrannicè cogere præ pudore vellet, leoninæ pelli vulpinam, aut si mavis Minois larvam prætendens, leniter vim adferebat.* Sequitur porrò apud Cæsarem: *Neq; solum domi, sed etiam apud finitimas civitates largiter posse: Atq; hujus potentiæ caussâ &c.* Quâ de re nos diximus ante in observationum nostrarum Decade VI. c. 3. itaq; eò Lectorem benevolum remitto.

Caput



# CAPUT VI.

*Odisse etiam suo nomine Cæsarem & Romanos, quod eorum adventu potentia eius deminuta & Divitiacus frater in antiquum gratiæ & honoris locum sit restitutus.*

HIc aperit se ulcus, quod dolebat Dumnorigi: Injuria ei facta suo judicio & honoris diminutio, quem vitâ & sanguine chariorem habent potentiores, haud aliter quam pecuniæ plerisq; pauperibus ἄιμα καὶ ψυχὴ solet esse, ut dicebat olim Timocles. Hæc imminutio honoris cum contumeliosa sit admodum, odium excitat ferale, quod in omnes occasiones vindictæ etiam cum salutis dispendio intendit, De viperâ scribunt Philosophi, eam cum nocere homini velit signum ponere, quod postea solum & præterea nihil, propter vim & acrimoniam veneni, videat: Ita prorsus efferati contemtu tali, qui alto sunt animo, non adquiescunt, priusquam libidini suæ & cupiditati factum sit satis; Exemplo sint apud Græcos Miltiades, Themistocles,

Pausanias. Alcibiades, apud Romanos Antonius, Cæsar & alij. Quantum Francisco I. Gallo, qui propter res fortiter & præclarè belli domique gestas inprimis vero propter animum bonis literis & viris literatissimis deditissimum, Magni cognomentum tulit, nocuerit defectio Caroli Borbonii ad Carolum Cæsarem, omnes loquuntur Historiæ. Caussas autem defectionis, quas habuerit, cognoscamus ex Iovio: *Carolus*, inquit, *Borbonius patre natus Gilberto Mompenserio, duxerat uxorem ex sorore Caroli IIX. Regis genitam, unde ei dotali nomine Borbonij Principatus accessit: Eâ morte sublatâ & ob id cum socru contracta simultate, ad Heleonoram Cæsaris sororem oculos adjecit. Interim Ludovica Francisci Regis mater, quod ex eâdem Borbonianâ domo maternum genus ducebat, non ambiguo jure ea oppida, quibus Carolus Borbonius hæreditate crevisset, contestatâ lite repetebat. Tum verò Borbonius tantam injuriam deprecari, obsecrare Franciscum, ut matrem oppidorum suorum iniqua cupiditate deflagrantem compesceret, quando sibi nihil magis esset absurdum, quam in judiciis cum*

*In vitâ Ferdinandi Caroli Piscar. lib. 3. p. 730.*

cum ambitiosâ & longè potentissimâ muliere, atque eâdem Regis matre ad non dubium litis eventum colluctari. Rex eum, ut bono esset animo hortabatur, nec de summâ eius litis omnino dubitaret: in eo tamen perseverabat, ut controversia Senatus judicio finiretur, ne maternum animum ullâ prorsus offensione obnubilaret: quandoquidem inchoata judicia, quæ libera & incorrupta esse vellet, impedire nefas arbitraretur. Cœterum si matri oppida essent adjudicata, ingenti se liberalitate ostensurum pollicebatur, quantum virtuti ipsius ac dignitati egregiâ animi propensione tribueret: veluti qui eadem aut certè multò opulentiora oppida post dijudicatam atque æstimatam litem benignè compensaturus esset. Sed BorbonI animo semel alienato & cuncta æquo gravius æstimanti alia contumelia accessit: nam eâ die, quâ in finibus Nerviorum ad Valentianum oppidum Francisco Regi cum exiguis Cæsaris copiis ad certissimam spem Victoriæ fuit confligendum, primæ aciei cura quæ Borbonio tamquam Magistro Equitum â Francisco appellato debebatur, Alanconio Regis sororis marito fuerat attributa: Quæ duæ potentes in animo Generoso

*caussa cernente manifestam potentiæ deminutionem tandem defectionem ad Cæsarem promoverunt, nec quidquam summa comitas Regis morbum simulantem visitantis in obdurato pectore*
lib. 15. Historiæ. *potuit.* Addit his Fr. Guicciardinus: *fuisse illum diu minus Regi acceptum, idcirco nec ad eos gradus promotum nec ad ea arcana consilia admotum, quibus tanta amplitudo digna vide-*
lib. 8. *batur.* Illustris Thuanus paucis rem complectitur, sed satis innuit, non defuisse caussas defectionis Borbonio, quia nec vim imperiosæ fœminæ indulgentissimi filij auctoritate ad privatas libidines abutentis, nec injuriosam Regis indignationem ferre
Thuanus l. 15. & 17. posset. *Non minus indignè tulit Ferdinandus Gonzaga, quod Carolus V. eum à Mediolanensi gubernatione quamquam honestissimâ specie avocaret, eiq; Ferdinandum Alvarum Toletanum Albæ ducem successorem daret, itaq; non ita bene affecto animo in Italiam privatus ve-*
Thuan. l. 14. *nit. Franciscus item 1. cum P. Strozzium in Hetruriam Ferrariensi Cardinali succenturiatum misisset, isq; Senas cum amplissima potestate venisset, & copiam mandati Cardinali fecisset, valdè Cardinalem offendit, quippe qui non tantum belli ducem, sed & successorem in Reipublicæ procuratione sibi missum doleret, non solum indignari itaq;, sed securè omnia ac negligenter agere cepit, quo & factum est, ut quamvis Strozzius*

raró

*raro in urbem veniret, ne præsentiâ suâ Ferrariensis auctoritatem ac dignitatem minuere videretur, sed bellico munere contentus, foris tantum arma tractaret, secretæ nihilominus simultates inter ipsos ex eâ occasione suborirentur: cuncta segnius ab eo tempore administrata, ceptæ munitiones intermissæ, secreta cum Pontifice & aliis Principibus consilia penitus omissa sunt: Cum ita Annas Mommorantius â Francisco II. Rege Magisterio Equitum privaretur specie levandæ ætatis, re ipsâ ut dignitatem illam Guisiis tribueret: ille de ætate quædam ac valetudine præfatus, non se adeò effæto corpore ac mente delirâ esse respondit, sicuti ab inimicis jactetur, quin & armis tractandis & reip. administrandæ, cum jubebitur, robore & industriâ sufficere possit: subdidit postea, infra dignitatem suam esse, si quibus hactenus imperaverit, iis nunc se subjiciat, itaq; Cantiliam, prius salutatâ Reginâ & additis his verbis: hominibus vitæ suæ ac bonis inhiantibus non ita facilè obventura consilia, sicuti jam spe & avido ultra modum animo conceperint: discessit.* Thuan. l. 23.
*Quæ res* ut idem Historicus alibi loquitur, *toti rei Gallicæ nocuit: nam æmuli, qui ex publicâ clade privatum compendium faciebant, rerum gubernaculis eâ occasione admoti; in vacuum venere & populi favorem, qui â Momorantio ad Guisios, tamquam lictores ad novos consules solent, transiverat, occupavere, quem arreptum* iid. 19.
 *semel*


*semel homines strenui juxta & callidi miris artibus postea semper retinuerunt.* Pompeium quoque Columnam hæc ipsa caussa Iulio II. Pontifici juratum hostem reddidit: cum enim Pontifex illi Togatæ Galliæ præfecturam morte Petri Vallij Cardinalis Rhegini vacuefactam commisisset, mox verò pœnitentia ductus intercedentibus apud ipsum Francisco Mariâ & Isabellâ Gonzagâ & Pompeium gravissimorum criminum reum deferentibus, revocasset, impatiens contumeliæ animus admitti ad Pontificem per Hieronymum Viccum Ferdinandi Regis Legatum petijt, ut caussam apud ipsum diceret, repulsamque passus, Cum dixisset Iulius : Nolo ego iracundus cum superbo & turbido verbis concertare, ut retulit Alf. Ciacconius in Iulij vitâ p. 1052. ex Vrbe in Nemorensem villam secessit planè alienatus. Pòst â Petro Margano ingratissimo Iulij almano magis inflammatus adscito in societatem Roberto Vrsino, Marcello item Iulioque Columnis fratribus ad Gallos defecit. Pontificemque deinceps satis vexavit, qui pòst tamen eum in gratiam interventu M. AntonI Columnæ recepit. In Galeatium vicecomitem Iohannes Andreas

*Iov. in eius vita.*

dreas

dreas Lampognanus, referente Nicolao Macchiavello ex hac caussa conjuravit, quod eum in possessionem Abbatiæ Miramondanæ, quæ â Pontifice eius propinquo concessa fuisset, immittere recusavisset, quem etiam cum socijs conjurationis Carolo Viscontio, Hieronymoque Olgiato Anno CIϽCCCCLXXVI. die S. Stephano sacro in templo ipso necavit. Videant igitur Principes quid agant, neque temerè benè meritos & generosos spiritus abdicationis ignominiâ afficiant: si omnino faciundum videtur, ita rem instituant, ut honori potius data mutatio quam ignominiæ videatur: qua de re nos alibi.

*Histor. Flor. lib 7.*



## CAPUT VII.

*Si quid accidat Romanis, summam in spem regni per Helvetios obtinendi venire: imperio populi Romani non modo de regno, sed etiam de ea, quam habeat, gratiâ desperare.*

Ele-

*in Alexandro sive Pseudomante.*

ELeganter ut multa alia, Lucianus; τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ὑπὸ δυοῖν τούτοιν μεγίστοιν τυραννούμενον, ἐλπίδος καὶ φόβου, *hoc est, duo potissimum in vitâ hominum Tyrannidem obtinere, spem ac metum*; & mox subjungit: καὶ ὁ τούτων ἑκατέρῳ ἐς δέον χρήσασθαι δυνάμενος, τάχιστα πλουτήσειεν ἄν. *Et qui utroq; rectè & commode sciverit uti, eum bene se habere necesse est & quidem celeriter & opinione quandoq; citius.* Nec minus verè: *ac spes quidem homini naturalis videtur ex cupiditate orta: Cum enim homo variis à teneris, cupiditatibus exerceatur, spem illi adjungere DEUS & natura voluit tamquam cupiditatum alimentum:* In quam sententiam eleganter etiam Maximus Tyrius: Συγκατῴκισε δὲ ὁ θεὸς τοῖς λογισμοῖς ἔρωτα καὶ ἐλπίδα: τὸν μὲν, ὥσπερεὶ πτέρωμα τι κοῦφον καὶ μετάρσιον, ἐπαῖρόν τε καὶ ἀνακουφίζον τὴν ψυχὴν, καὶ παρέχον αὐτῇ δρόμον ἐπὶ τὰς αὐτῆς ὀρέξεις. (καλοῦσι δὲ τὸ πτέρωμα οἱ φιλόσοφοι τοῦτο ὁρμὴν Ἀνθρωπίνην) αἱ δ' ἐλπίδες συγκατῳκισμέναι τῇ ψυχῇ παραμύθιον τῶν ἑκάστου ὁρμαῖς, οὐ κατὰ τὸν ἀττικὸν ποιητὴν τυφλαὶ, ἀλλ' ὀξυωπεῖς πάνυ, οὐκ ἐῶσαι αὐτὴν ἀπαγορεῦσαι πονοῦσαν, ὡς τευξομένην πάντως ὧν ἐρᾷ. hoc est *Rationibus humanis contubernales duos adjunxit DEUS, Amorem ac spem, illum quidem, tamquam alarum remigium leve, quod in altum per se feratur, animamq; secum sursum ferat & extollat,*

Διαλέξει 37. Ὅτι πρὸς πᾶσαν ὑπόθεσιν ἁρμόσεται ὁ τοῦ φιλοσόφου λόγος.

*viamq;*

*viamq; , qua id , quod petit , consequatur , ostendat , quod quidem appetitionem humanam vocant Philosophi. Spes verò animam comitantur , ut illam quam diximus appetitionem sustineant ac solentur , non illæ quidem cœcæ , ut ab Attico dicuntur Poetâ , sed perspicacissimæ , ne in labore deficiat anima , sed , quæ cupit , consecuturam se confidat , Prout igitur quisq; appetit, ita sperat.* Vnde in Heroicis animis Dionysius Halicarnasseus τὴν ἐλπίδα ἔργων καλῶν ἡγεμόνα, fortium facinorum ducem appellat. *lib. 6. Hist.* In turbulentis & quibus ex rebus novis commodum petitur, ad facinora aurigatur eadem & ad scelus quodvis vocat atq; protrudit. Hæc spes animavit etiam hic Dumnorigis cupiditates, ambitiosus erat & alta affectabat, adquisiverat sibi jam Helvetiorum favorem, itaq; fore sperabat, ut si Romani vincerentur prælio, aut bello subcũberent, ipse Rex declararetur. Qui si Epictetum audivisset dicentem : καὶ τοῖς σκέλεσι καὶ ταῖς ἐλπίσι τὰ δυνατὰ μὴ δεῖ διαβαίνειν; Vt crura sic spem quoque non ultra quam commodè fieri potest, extendendam, utiq; rectius commodis suis consulere potuisset. Sed non sine Exemplo hoc fecit. Quid enim non tentavit Ælius Seianus, spe apiscendi imperij Romani? favorem Principis cum haberet, populi quoque quæsivit *Tacit. 2. Annal.*

ut

ut noster modo largitione & luxu, modo industria & vigilantiâ, haud minus noxijs, quoties parando regno finguntur. Inde irrepere cepit in animos militares adeundo, appellando, quorum certus, Domum Cæsarum plenam, quæ moram cupitis adferebat, vacuefacere instituit per scelerum etiam intervalla, quod horum cæde sterni sibi viam ad Imperium persuasum haberet. Quæ porrò non molitus Claudius Civilis? quas excitavit turbas; quæ bella aluit, spe dejiciendi Vespasiani & imperij usurpandi? quæ alij passim apud Historicos? At enimverò non spes solum Dumnorigem nostrum transversum rapuit, sed & metus ac desperatio, quorum ille præsertim ex flagitijs ortus maxima peccandi necessitudo est, ut loquitur Tacitus, illa autem sæpe animum addit & ferociam facit etiam timidissimis. Hic metus Agrippinum coegit Claudium boleto necare, Britannico regnum tribuere volentem neglecto filio eius Domitio Nerone: Hic Narcissum festinare jussit Messalinæ cædem.: Nam si Silius & Messalina sublato Claudio rerum potiti essent: primum eorum facinus fuisset Narcissi cædes.

*3. Annal. c. 40.*

*Tacit. 11. Annal.*

cædes. Hic Landricum Equitum in Galliâ Magistrum ad maturandam necem Chilperici adegit, cum â Fredegundi quam adulterio fœdaverat forte proditus esset: Historiam Paulus Æmylius describit, *Fredegundis*, inquit, *dum formæ curandæ intenta capillum in Sole siccat pectitq;, â marito per lusum furtim superveniente virgâ ab tergo leviter percussa, risu oborto; Landrice, inquit, si vir es, frontem pete: mox discriminatis capillis conversa, marito conspecto attonita conticuit: ille caput quassans ad suos in Equis præstolantes regressus, venatum ut constituerat, contendit. Landricus â Fredegundi* XI. *Annal.* *edoctus inconsiderata voce furtivos amores proditos: imminentium periculorum remedium ipsa* *c.* 26. *pericula ratus*, ut idem Tacitus alibi inquit, *duos ex fidis exemplo Chilperico percussores submittit, qui serâ nocte redeuntem & ex equo degressum confoderunt*: sic ille Tragici illud usurpavit: *Seneca Hippolito v.* 718.

*Scelere velandum est scelus*

*Tutissimum est inferre, cum timeas, gradum.*

& Ægysthi exemplum imitari jussit eum mors præsentissima: Idem fecit Cochanus Versovicensis apud Dubravium, qui cum Bretislaum Vdalrici filium â Iaromirio *lib.* 7. *Hist. Bohem.* Patruo adversus se incensum cognovisset, utrumq;

utrumque e medio tollere prior decrevit, & hunc quidem ſuſtulit : Bretiſlao autem periculi admonito pœnas tàm atrocium facinorum horrendas dedit. Matthæus quoque Bonellus, cum ob necatum ſocerum Majonem ſe Guilielmi Siciliæ Regis odium incurriſſe videret, quamquam altè diſſimularetur; tamen notavit ſibi exitio fore, niſi præveniret : Jtaque conjuravit ipſe prior in Regem & cum proceribus regni tranſegit, ut Rex captivus in inſula teneretur, Regisque filius Rogerius Appuliæ Dux puer novennis ei ſufficeretur, hiſtoriam deſcribente Facello & Guiſcardâ] ſive Hugone Falcando in lib. de Calamitat. Siciliæ. Atque hæc de Dumnorige dicta ſufficiant: cujus exemplum imitati non pauci ſunt deinceps & uſurpant hodièq;.

*Decadis posterioris l. 7.*



## CAPUT IIX.

### *Libri & opera mortuorum majori in pretio quam ſuperſtitum & vivorum.*

*Marci 6. v. 4*
*Ioh. 4. v. 44*

DIcere Germani noſtri ex ſacris παροιμιωδῶς ſolent: Prophetam nuſquam minus æſtimari quam in patriâ ſuâ, quod & Pli-

& Plinio notatum: ait enim sorduisse Protogenem suis, ut plerumque domestica. Id ego non immerito usurpare mihi posse videor de scribtis superstitum, quæ contemni ferè solent & rideri, aut malitiosè exagitari, posteà mortuis auctoribus demum rectioribus oculis considerantur & ex suis meritis velo vel suffusione oculorum remotâ celebrari solent, Ita homines sumus, & fuimus jam diu, quod ex querelis eorum, quos hoc capite laudabo, perspicere cuivis licebit, Atque initium quidem â Poetis faciam, qui affectare solent gloriam, & quibus pabuli vicem esse solet honor & fama. Propertius ergo quàm patheticè queritur de more hoc hominum moro & improbo:

*Omnia* (inquit) *post obitum fingit majora vetustas* Eleg. 1, lib. 3.
*Majus ab exsequiis nomen in ora venit.*

Martialis item in Veneribus suis miratur & inquit: Lib. 5.

*Esse quid hoc dicam, quod vivis fama negatur,*
*Et sua quod rarus tempora lector habet?*

Sic & Ovidius:

*Ennius est lectus salvo tibi Roma Marone:*
*Et sua riserunt secula Mæoniden.*

Quibus succinit & Mantuanus. Ecl. 6.

*Omne bonum præsens minus est, sperata videntur*
*Magna, velut majus reddit distantia lumen.*

Poetarum ſententiam approbant & Hiſtorici: *Peſtilens hic mos, inquit* Paterculus, *ubiq; terrarum animos hominum tamquam tabes invaſit: præſentia invidiâ, præterita veneratione proſequimur*, in quibus verbis notâ cauſſam huius improbi moris, quæ livor eſt & invidia, quam & Thucydides notavit: φθόνος, ait τοῖς ζῶσι πρὸς τὸν ἀντίπαλον, τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται hoc eſt, *Viventibus invidia obſtat apud adverſarios, quod verò ſublatum eſt, irrefragabili colitur benevolentiâ.* Et Salluſtius in extremo orationis de Rep. Ordinandâ: *Vivos interdum fortuna, ſæpius Invidia fatigat: ubi anima naturæ ceſſit, demtis obtrectatoribus ipſa ſe virtus magis magisq; extollit.* Agnovere hanc cauſſam Poëtæ quoq;, in primis Ovidius: Ita enim canit:

*lib. 2. Hiſt.*

*Eleg. ult. l. 1. Amor.*

*Paſcitur in vivis livor: poſt fata quieſcit,*
*Tunc ſuus ex merito quemq; tuetur honos,*

*El 16 4. Triſt.*

Et alibi — *Detrectat præſentia livor.* Et rurſus:

*Scripta placent â morte ferè, quia lædere vivos*
*Livor & injuſto carpere dente ſolet.*

*Ep. 1. lib. 2.*

Et Horat. *Vrit enim fulgore ſuo qui prægravat arteis*
*Infra ſe poſitas, exſtinctus amabitur idem*

*l. 5. Epigr. 10.*

Martialis etiam mirabundus exclamat:

*Eſſe quid hoc dicam, quod vivis Fama negatur?*
*Et ſua quod rarus tempora lector habet?*

reſpon-

respondet autem mox:

*Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores*
*Præferat antiquos semper ut ista novis,*
& quæ ibi sequuntur.

Itaq; mirifice exultare solent, si vivi etiam famam habeant & invidiam vicerint: Vide sodes, quomodo exsultet Ovidius, gratiasq; Musæ suæ agat hanc ob caussam:

*Tu mihi, quod rarum est, vivo sublime dedisti*
*Nomen, ab exsequiis quod dare Fama solet.*
*Nec, qui detrectat præsentia livor, iniquo*
*Ullum de nostris dente momordit opus.*

Et Martialis ideo lectori suo se debere profitetur, *lib. 1. Ep. 1. ad lect.*

*Cui lector studiose quod dedisti*
*Viventi decus atq; sentienti*
*Rari post cineres habent Poëtæ.*

Et quia præclare facta cum eruditis scribtis pari passu ambulant idem & illorum fatum esse solet: Unde Plinius beatum prædicat hoc nomine Virginium Rufum: *Memorabile*, inquit, *spectaculum Pop. Rom. oculis exhibuit publicum funus Virginij Rufi, maximi & clarissimi civis & perinde felicis. Triginta annis gloriæ suæ supervixit: Legit scribta de se carmina, legit historias & posteritati suæ interfuit.* Quæ postrema verba â Martiali suo, quem *lib. 2. Ep. 1.*

totlocis commendat, mutuatus videtur. Is enim, Licinium Suram municipem suum ita etiam commendat, qui ex gravi morbo fatorum munere, ut ipse loquitur, gustatâ penè Lethes aqua revaluerat:

lib. 7. Ep. 46.

*Scis*, inquit, *quantas hominum mors falsa querelas*
*Moverit & frueris posteritate tuâ.*

lib. 1. Ep. 16.

Idem porrò Plinius improbum illum obtrectandi vivis morem exagitat, ubi de Pompeio Saturnino ad Erucium scribit: *Neq; verò operibus eius debet obesse quod vivit: An si inter eos, quos nunquam vidimus, floruisset, non solum libros eius verùm etiam imagines conquireremus, ejusdem nunc honor præsentis & gratia quasi satietate languescit? At hoc pravum malignumq; est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, complecti, nec laudare tantum, verum etiam amare contingit.* Cicero quoque damnat, dum illam quam diximus felicitatem sibi optat, cum ad L. Lucceium ita scribit: *Ardeo cupiditate incredibili, neq; ut ego arbitror, repræhendendâ, nomen ut nostrum scribtis celebretur tuis, quod etsi mihi sæpe ostendis te esse facturum, tamen ignoscas velim huic festinationi meæ: Genus enim scribtorum tuorum, etsi erat semper â me exspectatum, tamen vicit opinionem meam meq; ita cepit vel incendit, ut cuperem quam celerri-*

lib. 5. Ep. 12. ad Fam.

*lerrime res nostras monimentis commendari tuis. Non enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate testimonij tui, vel indicio benevolentiæ, vel suavitate ingenij tui vivi perfruamur.* Et iterum sub finem Epistolæ: *Ac ne forte mirere, cur â te id nunc tantopere & tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scribsi festinationis, quod alacres animo sumus, ut & ceteri, viventibus nobis, ex libris tuis nos cognoscant & nosmet ipsi vivi gloriâ nostrâ perfruamur.* Quibus autem tam beatis esse non licebat, memores, ut Horat. loquitur. *Ep. 1. lib. 2.*

*Invidiam supremo fine domari*

solabantur se famâ posthumâ & honestâ post mortem sui memoriâ. *Ad posteros enim*, ait Fabius: *Virtus durabit non perveniet invidia:* Quod & Orator Græcus novit, cum ait: *τοῖς μὲν ζῶσι πᾶσιν ὕπεστιν ἢ πλείων ἢ ἐλάττων φθόνος: τοὺς τεθνεῶτας δὲ οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἔτι μισεῖ: Vivos omnes nunc major nunc minor infestat invidia, mortuos autem ne inimici quidem amplius odere*: Et Plutarchus in extremo Numâ *πᾶσι μὲν οὖν ἕπεται τοῖς δικαίοις καὶ ἀγαθοῖς ἀνδράσι μείζων ὢν καλόπιν ὁ μετὰ τελευτὴν ἔπαινος, τοῦ φθόνου πολὺν χρόνον οὐκ ἐπιζῶντος: ἐνίων δὲ καὶ προαποθνήσκοντος.* hoc est Omnes bonos & probos viros laus

*Quinctil. l. 3. c. 1.*

*Demost. περὶ στεφάνου.*

etiam vitâ functos â tergo grandior insequitur, cum brevi evanescat invidia, cujus quorundam etiam fata antevertit exstinctio. Hinc igitur Propertius:

l 3. Eleg. 1. *At mihi, quod vivo detraxerit invida turba*
*Post obitum duplici fœnore reddet honos:*

Eleganter item Statius extremo Thebaidos suæ:

*Mox, tibi, si quis adhuc prætendit nubila livor*
*Occidet & meriti post me referentur honores,*

Nec minus Martialis initio libellorum suorum præfatur:

*Vos tamen ô nostri ne festinate libelli.*
*Si post fata venit gloria, non pereo.*

Atque si maximè fuerit vivorum aliqua gloria, ea ipsa tamen post mortem fit illustrior & veluti magis conspicua, quod animadversum est Plinio d. l. de Virginio Rufo; *Vivit*, inquit, *vivetq; semper, atq; etiam latius memoriâ hominum & sermone versabitur, postquam ab oculis recessit* : Visum etiam Ciceroni, cujus insigne hoc est monitum ad Q. Fratrem : *Non est tibi his solis utendum existimationibus ac judiciis, qui nunc sunt, hominum, sed eorum etiam, qui futuri sunt: quamquam illorum erit verius judicium, obtrectatione & malevolentiâ liberum.* Ne igitur peccemus hac in parte, cum Plinio bonus quisque ita de se loquatur : *Sum ex iis qui*

l. 1. Ep. 1. ad Qu. Fr.

*mirer*

*mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio: neq; enim quasi lassa & effœta est natura, ut nihil jam laudabile pariat: Uno verbo; Qui pulcherrimè decertavit, hic coronandus & primò victor proclamandus, tametsi postremus in arenam descenderit,* quod est simile Aristidis valdè accommodatum huic negotio & venustum. Atq; hoc quidem tantò lubentius facere debemus quanto remotiores volumus esse â populo, cuius est proprium invidere, unde turbam invidam Propertius dicit, Horatius malignum vulgus, & Aristoteles μικρο-ψύχους invidere ait, Cic. multitudinem populi invidam, deinde quia hanc invidiam ê vestigio sequitur Pœnitentia & dolor, quamq;, ut verissimè canit Horatius:

*Od 16. lib. 2.*

*in Rhet.*

*de petit. Cons.*

*l. 3. Od. 24.*

*Virtutem incolumem odimus,*
*Sublatam ex oculis quærimus invidi.*

Quod & Sophocles jam scripserat, *Aiace.*

Οἱ κακοὶ γνώμαισι τὸ ἀγαθὸν χεροῖν
Ἔχοντες οὐκ ἴσασιν, πρίν τις ἐκβάλῃ.

Et latinè reddidit Plautus: *Captiv.*

*Tum deniq; homines nostra intelligimus bona*
*Cum, quæ in potestate habuimus, ea amisimus.*

quod argumentum & copiosè & divinè etiam persecutus est Latinæ facundiæ pater Ci-

*Orat. post reditum Quirit.*

*invitâ Demetri Phaleri.*

Cicero; & verum comprobavit Demetrius Epicus apud Diogenem Laërtium eleganti versu:

Ζωὸν ἀτιμήσαντες ἀποφθίμενον ποθέουσι.

*Oderunt vivum, quem mox post funera quærent.*

Et addit, eò usq; rem sæpe deduci solere, ut & urbes amplæ & populi potentes super umbrâ aut sepulchro decertent, quod Homero evenisse loquuntur historiæ, versus suavissimi sunt, ideo addam & caput concludam

καὶ ποθ᾽ ὑπὲρ τύμβοιο καὶ ἀπνόου εἰδώλοιο
Ἄστεα νεῖκος ἐπῆλθεν. ἔειν δ᾽ ἐστήσατο λαός.



## CAPUT IX.

### *Sterilitatem sive abortus veneficijs procuratos impios esse & nullo jure vel quæsito colorari posse.*

*lib. 7. c. 16.* ELeganter, ut omnia, disputat Aristoteles in Politicis felicitatem Civitatis non consistere in amplitudine loci aut multitudine hominum, itaque attendendum ne vel desit vel supersit quid, cum αὐτάρκεια potius faciat beatam Remp. & τὸ εὐσύνοπτον, hoc est sufficientia rerum ne-

cessa-

cessariarum & ut cives inter se noti sint, & amici, adeoque conspirent & mutuas præstent operas, in obeundis & rectè exsequendis illis, quæ in Civitate necessario fieri debent, quæque præcipit εὐνομία. Inter alia vero movet dubitationem: Si, inquit, numerus civium ultra modum augeatur, pluribus semper per generationem succedentibus, quàm civitati commodum sit, quid faciendum? Respondet Philosophus his verbis: ἐὰν δέ τισι γίγνηται παρὰ ταῦτα συνδυασθέντων, πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι καὶ ζωὴν ἐμποιεῖσθαι δεῖ τὴν ἄμβλωσιν. τὸ γὰρ ὅσιον καὶ τὸ μὴ διωρισμένον τῇ αἰσθήσει καὶ τῷ ζῆν ἔσται, hoc est: Quod si conjugibus inter se copulatis & congressis plures liberi, quam legibus definitum sit, nascantur, prius quam vita & sensus inseratur, abortus est fœtui inferendus: Quid enim pium ac relligiosum sit, quid non, sensu ac vitâ circumscribtum & definitum erit, idest fœtus antequam sentiat & vivat si opprimatur, nihil peccatur, quia tum nec homo nec animal dici potest: quando verò jam sentit & vivit, sine crimine id fieri non potest. Plato paullò mitius: Si, inquit, plures generentur, vel isti supernumerarij dividantur inter eos qui liberos non habent, ut eos adoptent, vel coloniæ deriventur, vel prohibeantur

procreatio eo modo quem monstravit Philosophus: Hæc ratio an inter Christianos ferri possit aut debeat, ideo non injuriâ quæritur, quia distinctionem hanc inter fœtum animatum & inanimatum ipsæ videantur approbare sacræ literæ: In libris enim Moysis sancitur, ut si quis abortioni caussam dederit, morte puniatur, si fœtus jam fuerit animatus, pecuniariâ verò aut arbitrariâ pœnâ, si nondum animatus fuerit. Nam quod mitius punitur id bono publico putet quis admitti posse, quomodo ex duobus malis, id quod minus est malum, minimè malum censuit Plautus. Accedit consensus Iurisconsultorum, qui in judicijs itidem ad hanc distinctionem respiciunt, ut tradit Menochius lib. 2. Cent. 4. casu 357. Quæstionum arbitrariarum, qui tamen dissentit. Illis verò favere videtur l. Si quis aliquid § Qui abortionis, ff. de Pœnis: Ita enim ibi Paulus: *Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissâ bonorum parte, relegantur. Quod si eo mulier aut homo perie-*

*Exod.* 21. *vers.* 22.

*perierit* (intellige fœtum jam animatum) *summo supplicio adficiuntur*. Per hominem autem ibi fœtum animatum jam intelligi debere & hominis formam adeptum Tertullianus me docuit: Nam fœtum inanimem aut anima hominis nondum vestitum pecus vocat, non hominem. Verba ejus sunt hæc adversus Marcionem de Salvatore: *Nonne caro habitus ante formam? nonne pecus dictus post figuram? nonne novem mensium cruciatu de libratus? non subitâ dolorum concussione, cum tanti temporis cœno, per corporis cloacam effusus ad terram?* l. 4. c. 21. Neque aliter loquitur in lib. de Animâ: *Inter arma*, inquit, *medicorum est & Organa, quo prius patescere coguntur secreta tortili temperamento, cum annulo cultrato, quo intus membra cœduntur anxio arbitrio, cum hebete unco, quo totum pecus adtrahitur violento puerperio.* c. 25. Ad quæ loca vir magnus notavit ἀρχαϊκῶς hæc dicta: Veteres enim, quidquid non erat homo, id pecus appellabant. Quid, quod exinde membrana fœtui proxima, ipsumque totum involvens â vertice ad imos pedes, ἄμνιον Græcis dicitur, quasi pellem agnelli dicas, ut auctor est Pollux & præter eum Gale-

*l. 5. c. 18.* Galenus & Theophilus in Anatomicis: qui alias ejus vocabuli interpretationes aut Etymologias quærunt, nihil agere videntur. Videtur verò hoc ê mediâ Philoſophiâ ſive
*2. de Gener. Animal. c. 3. & 4. c. 3.* interiore Phyſiologiâ petitum: Docet enim Ariſtoteles ordine in generatione hominis naturam procedere, neque ſimul fieri & animal & hominem, ſed fœtum initio vivere τοῦ φυτοῦ βίον, plantæ animã, poſtea animalis, tandem hominis: additur ratio: ὕστερον γίνεται τὸ τέλος, τὸ δὲ ἴδιον ἐστὶ τὸ ἑκάστου τῆς γενέσεως τέλος Finis & terminus ſive perfectio rei ultimùm accedit rei: Eſt autem cujusq; rei finis & perfectio propriũ id, quo quidque ab altero diſcernitur, quam vulgò formam ſpecificam appellamus. Verùm in viam velut ex diverticulo redeundum: Dico igitur rationem hanc barbaram eſſe, immanem, & naturæ inimicam. Vnde S. Patres graviſſimè in hæc ſcelera invecti ſunt. Tertullianus ſane
*l. Adv gentes.* quam ſignificanter: Etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet, homicidij feſtinatio eſt prohibere naſci: nec refert natam qui eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt qui futurus eſt etiam
*Ep. 22.* factus omnis jam in ſemine. D. quoque Hieronymus, *Sterilitatem, inquit, præbi-*

*bunt*

*bunt hodiè & nec dum sati hominis homicidium faciunt.* Quæ senserint concepisse se de scelere abortus venena meditantur & frequenter etiam ipsæ commoriuntur, homicidæ sui adulteræ & nec dum nati filij parricidæ. Augustinus quoq; vetat & prohibet: *Nulla mulier*, ait, *potationes ad abortum accipiat, nec conceptos aut natos occidat. Quæ mortiferas potiones accipit, ut non concipiat, quantoscumq; parere potuisset, tantorum homicidiorum est rea.* Severè etiam prohibuit Synodus VI. in Trullo. can. 92. Damnarunt etiam cordatiores Ethnici, ut apparet ex Ciceronis Cluentianâ, in qua laudat judices, qui Milesiam quandam damnarint, quod acceptâ ab hæredibus secundis pecunia sibi ipsa medicamentis partum abegisset, additis rationibus, quod improbè fecisset, quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, hæredem familiæ, designatum Reip. civem sustulisset. Apud Satyricum fœminæ divites & delicatæ carpuntur: *Iuven. sat. 6.*

*Quod jacet aurato vix ulla puerpera lecto*
*Tantum artes huius tantum medicamina possunt,*
*Quæ steriles facit, atq; homines in ventre necandos*
*Conducit.*

Et

*Lib. 2. Amor. Eleg. 14.* Et insigni Elegia detestatur scelus hoc Ovidius, in qua inter alia sic ait.

*Quæ prima instituit teneros avellere fœtus*
*Militiâ fuerat digna perire suâ.*
*Si mos antiquis placuisset matribus idem*
*Gens hominum vitio deperitura fuit.*
*Scilicet ut careat rugarum crimine venter*
*Sternetur pugnæ tristis arena tuæ.*
*Vestra quid effoditis subjectis viscera telis*
*Et nondum natis dira venena datis.*

Et quæ ibi sequuntur alia. Ammianus etiam Marcellinus Eusebiam sceleris huius insectatur nomine, quod Helenam sororem Constantij Iuliani Cæsaris conjugem Romam specie adfectionis ductam venenum bibere per fraudem illexrit, ut quotiescunque concepisset, immaturum abjiceret partum. Nam & pridem in Gallijs, cum marem genuisset infantem, hoc perdidit dolo, quod obstetrix corrupta mercede, mox natum præsecto, plusquam convenerat, umbilico necavit. Tanta tamque diligens opera navabatur, ne fortissimi viri soboles appareret. Benè denique Theodor. Priscian. ad Victoriam lib. 3. *cap. 6.* *Abortivum*

*tivum dare nulli umquam fas est: Ut enim Hippocratis testatur oratio, tam duri reatus conscientia medicorum innocens officium non debet maculari.* Abortivum appellat quod Græci vocant Ἀμβλωθείδιον Suidas Pollux & alij Glossographi Ἀμβλωθείδιον τὸ φθόρειον φάρμακον, Idemque Hippocrates juramento Medicum cavere voluit. Quæ cum ita se habeant, viderit Aula Romana, quomodo nundinationem illam suam DEO judici probet, qua pro muliere quæ ἀμβλωθείδιον huiusmodi accepit, solvi sibi postulant Turonenses quatuor, Ducatum unum, Carolinos octo, ut refert Taxa Curiæ Romanæ.



## CAPUT X.

### *Calumniæ fœditas, eiusque pœnæ notabiles & rariores.*

TUrpitudinem & fœditatem Calumniæ, quamquam penè omnes scribtores melioris notæ prodiderint, tamen

tamen efficaciſſimè id duo maximè feciſſe mihi viſi ſemper, quorum alter Baſilius eſt, cui pietas & doctrina Magni cognomentum peperit: τρισὶν, inquit, ὁμοῦ προσώποις τὴν βλάβην προστρίβεται ὁ διαβάλλων: τόν τε γὰρ συκοφαντούμενον ἀδικεῖ, καὶ πρὸς οὓς ὁ λόγος ἐστὶν αὐτῷ, καὶ αὐτὸς αὐτόν. *Tribus ſimul injuriam facit calumniator, primùm ei, quem traducit ſuis calumniis: II. ei apud quem alterum calumniatur. III. deniq; ſibi ipſi quoq;.* De primo convenit inter omnes. De altero certum item eſt: primum enim habet eum pro tam vecordi & fatuo, cui ſua mendacia & calumnias perſuadere poſſit, deinde perſuadendo propellit eum ad iniquas ſuſpiciones & violenta conſilia, contra inauditum. Sibi ipſi porro nocet etiam obtrectator tum in præſens., tum in futurum. Calumniator enim germanus eſt delatoris; ſicut igitur delationes & proditiones amamus, proditores odimus, ita quamquam calumniæ in animos facile illabantur, ipſorum tamen calumniatorum ſubrepit odiũ, putamus enim eos vera deferre, itaque accipimus id quod defertur, animum deferentis exſecramur. In futurum; quia veritas, ut loquitur Tertullianus, juxta cum conſcientiâ obumbrari poteſt, quia non eſt DEVS, exſtingui non poteſt, quia eſt â

DEO:

DEO: nubes aliqua sive aulæum ei obducitur, sed prorsus nec amovetur nec tollitur, immò ipsa aulæum tollit: Et tunc calumnia in lucem protractâ, calumniatorem sua sequitur merces, æterna infamia & omnium bonorum odium. Alter, Gentilis scribtor est Lucianus, cujus hæc sunt verba: ὅπερ ἐξ ἅπαντος ὁ διαβάλλων ἐπιχειρεῖ ποιεῖν, ἄκειτον ὑπάγων τὸν διαβαλλόμενον τῇ τοῦ ἀκούοντος ὀργῇ, καὶ τὴν ἀπολογίαν τῷ λαθραίῳ τῆς κατηγορίας παραιρούμενος. καὶ γὰρ ἀπαρρησίαστος, καὶ δειλὸς ἅπας ὁ τοιοῦτος ἄνθρωπος, οὐδὲν ἐς τὸ ἐμφανὲς ἄγων, ἀλλ' ὥσπερ οἱ λοχῶντες, ἐξ ἀφανοῦς πόθεν τοξεύων, ὡς μηδὲ ἀντιτάξασθαι δυνατὸν εἶναι, μηδὲ ἀνταγωνίσασθαι, ἀλλ' ἐν ἀπορίᾳ καὶ ἀγνοίᾳ τοῦ πολέμου διαφθείρεσθαι, ὃ μέγιστον ἐστὶ σημεῖον τοῦ μηδὲν τοὺς διαβάλλοντας λέγειν. *Id unice & omni conatu agit calumniator, uti furori eius, qui calumniam audit, indefensum reum objiciat, eumq; à purgatione sui clancularia sectione prohibeat: Adeo enim formidolosus est & timidus quicumq; talis est, ut nihil palam & apertè moliatur, sed perinde atq; illi qui ex insidiis & ex transverso hostem adoriuntur, jaculis in eum contortis inde ex obscuro, quo vel remittere telum vel manu armatâ contrâ tendere non liceat, adeoq; is ignarus adversarij insidiarumq; miserè pereat. Quod vel evidentissimo signo esse potest, nihil honesti*

*lib. de Calumnia non cedendo.*

*calumniatores in animo habere aut agitare aut loqui.* Hæc Lucianus & alia his gemina pulcherrimo libello plura. Ex his porro duobus gravissimorum scribtorum locis satis apparere poteſt juſtas bonis omnibus eſſe cauſſas execrandi & ſceleris nefandi & ejuſdem operariorum, unde plura accumulare nihil eſſe opus arbitror, hoc poti' agere inſtitui, ut, quibus punitum ſit ſuppliciis quâ olim quâ hodiè, hoc capite doceam. Atq; ut â jure cõmuni incipiam, quod in uſu quotidiano verſatur, notum eſt Calumniatoribus conſtitutam eſſe talionis pœnam cum infamiâ, ſic ut quidquid mali accerſere voluerũt ſuis ſutelis & calumnijs id in ipſos recidat cum æternâ prævaricationis maculâ, quam pœnam mereri eos, nemo eſt, qui inficias eat. Sed & aliæ mitiores in ſpeciem pœnæ conſtitutæ illis, verùm magis in oculos incurrentes & facinoris dedecus evolventes. Earum antiquiſſima Charondæ fuit Thuriorũ Legumlatoris nobiliſſimi, quam adfert Diodorus Siculus. Τοὺς, inquit, ἐπὶ συκοφαντίᾳ καταγνωσθέντας προσέταξε περιπατεῖν ἐστεφανωμένους μυρείκῃ, ὅπως ἐν πᾶσι τοῖς πολίταις φαίνονται τὸ πρωτεῖον τῆς πονηρείας περιπεποιημένοι. Διὸ καί τινας ἐπὶ τούτῳ τῷ ἐγκλήματι καταδικασθέντας, τὸ μέγεθος τῆς ὕβρεως οὐκ ἐνεγκόντας, ἑκουσίως ἑαυτοὺς ἐκ τοῦ ζῆν μεταστῆσαι,

Bibl. l. 12.

hoc

*hoc est, Calumniæ seu falsæ criminationis convictis hanc pœnam irrogavit, ut myrica coronati per urbem circumducerentur, quo manifestè ad summum nequitiæ gradum illos pervenisse civibus appareret: non nullos ergo ob hoc flagitium condemnatos, quod tantæ ignominiæ dedecus perferre non possent, violentis sibi manibus sponte vitam abrupisse tradunt.* Quare autem myricâ coronari jusserit calumniatores, mirum alicui videatur, & ratio quidem alia nunc non succurrit, quàm ea, quam ex Plinio haurio, qui myricam refert inter plantas ἀκάρπους, & infelicia eius ligna dici ait, quorum materiâ in domum illata difficiles partus fieri prodant, mortesq; miseras procurari. *l. 24. c. 9.* Cui consentit Strabo, qui Sacerdotes Persarum, quoties diras diuturnas alicui imprecabantur, fasciculum virgarum myricinarum tenuium manibus tenuisse scribit. *lib. 15.* In funere etiam Achillis, cum propositum fuisset cursus certamen, Teucer, qui inibi erat, ut metam attingeret, myricâ implicit[us] cum cecidisset, victoriam Aiaci tradidit, id quod Q. Calaber his versibus enarrat.

——τὸν γὰρ ῥα θεὸς βάλεν ἠὲ αἶσα ἄτη *lib. 4.*
ὄζον ἐς ἀλγινόεντα βαθυῤῥίζοιο μυρίκης *παραλ.*
τῷ δ᾽ ἄρ ἐγγειφθεὶς χαμάδις πέσε.

*Hunc* (sc. Teucrum) *Deus aut sors noxia impegit in tristem ramũ myricæ altâ radice hærentis.*

Quarè porrò myricæ ramum non in manus dederint, sed coronarint myricâ eos ultima Diodori verba arguunt: quo manifestè ad summum improbitatis gradum eos pervenisse appareret. Olim enim impudentissimi quique & omnibus sceleribus ac vitiis emancipati, omni pudore devorato & decocto, ut sua vitia publicè ostentarent, coronas vel poscebant vel sumebant, ut non minus ea suis maculis, quam virtus suis insignibus inclaresceret: Sic Polynices apud Euripidem fratrem occisurus precatur Iunonem

*Phœnissis Act. 5.*

Αἰσχίστην αἰτῶ στεφάνην ὁμογενῆ κτανεῖν.

*Turpem posco mihi fratris de cæde coronam.*

Et Xenocratem Laertius tradit pro longiori compotatione præmij loco coronatum. Coronati itidem voluptatum lenones apud perditissimos Sybaritas, quos luxus erudierat ferculis & condiendis & apponendis, ut auctor est Athenæus. Adeò verè dictum â Tacito, apud improbos novissimam voluptatem esse ipsam infamiam, sive, ut Seneca: ipsum peccandi præmium infamiâ gaudere, quod de Polemone dixit Valerius: quo facit & Plinij loc9 insignis, qui & pœnę Calumniatorum novę ac duplicis meminit, & quanti eam fecerint infames isti nebulones aperit. *At tu, Cæsar,* inquit, *quam pul-*

*lib. 12.*

*XI. Annal.*

*Ep. 123.*

*lib. 6. c. de Mut. more.*

*Panigyr. Traiano dicto.*

*pulchrum spectaculum nobis exhibuisti cum contigit desuper intueri delatorum supina ora retortasq; cervices. Agnoscebamus & fruebamur, cum velut piaculares publicæ sollicitudinis victimæ supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia gravioresq; pœnas ducerentur.* Et Paullò pòst. *Expellere penatibus gestiunt? suis exturbentur, neq; (ut antea) exsanguem illam & ferream frontem nequidquam convulnerandam præbeant punctis & notas suas rideant, sed spectent paria præmio damna nec majores spes quam metus habeant, timeantq; quantum timebantur.* Attendis, quomodo ridere suas pœnas calumniatores dicat tamquam interfecti pudoris homines. Meminit autem hujus pœnæ de inustione frontis Cicero quoque, verba eius sunt: *Crura quidem vobis nemo suffringet, sed si ego hos benè novi, literam illam, cui vos usq; eò inimici estis, ut etiam alias omneis oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis.* Cautum ita fuit l. Remmiâ, vnde ap. Papinianum l. 13. ff. de Testibus calumniæ damnatus & homo integræ frontis opponuntur Crurifragium vero quamquam Cicero hoc loco canibus Capitolinis tribuat, tamen calumniatoribus quoque crura fracta Romæ auctores sunt Eusebius & Nicephorus, sub Commodo Imperatore & con-

*in Oratione pro S. Roscio.*

*lib. 5. c. 21.*
*l. 4. c. 26.*

consilio quidem Perennis: Apud Lampridium in Commodo in crucem actum calumniatorem lego, at talibus solebant crura postea frangi, ut vel ex sacris constat, fortasse igitur conjunctæ fuere pœnæ, & quidem atrociores. Titum Vespasianum flagellis ac fustibus cœcidisse ac novissimè traductos per Amphitheatri arenam partim subjici in servos ac venire imperasse, partim in asperrimas insularum avehi mandasse auctor est Suetonius. cap. 8. Sed nescio an ulla notabilior fuerit calumniæ pœna, eâ, quam Polonos usurpasse olim ex Cromero didici, cuius verba prout apud eum leguntur, ita hic referam. lib. 15. Hist. Polon. Sic autem ait: *In Polonia lites & simultates inter Regem Vladislaum & Reginam Hedvvigin suspicionibus ac delationibus susurronum quibusdam excitatæ, ut non longè essent â dissidio, ni primores intercessissent. Convenit tandem, ut delatores utrimque ederentur. Editus Gnevosius Dalevicius, subcamerarius Cracoviensis, qui sanctissimam fœminam Hedvvigin Reginam clam apud maritum regem probri insimulaverat, quod diceret, absente illo, Guilielmum Austrium secretò Cracoviam venisse & aliquot diebus cum reginâ consuevisse. Quâ de re satisfecit regina regi jure jurando. Cœterum in Gnevosium judicium de infamia Vislicia in conventu proce-*

*procerum institutum est, ibi accusatus damnatusq; cum non probasset, quæ dixerat, nec dixisse se negare posset, ex decreto judicij, se mentitum esse, clarâ voce, & latratu subter scamnum edito, professus est, Est autem eâ gravissima apud Polonos & infamiæ plena mendacij retractatio, quæ fit publicè latratu canino adjuncto.* Hanc eandem Calumniæ pœnam in simili caussâ paullò post subjisse quoque scribsit Clementem Moscorovium Castellanum Visliciensem & Præfectum Cracoviensem, Historiam apud eum vide. *lib. 16.*

# DECADIS NONÆ.

## Observationum Historico-Politicarum.

## CAPUT I.

### *Matrimonia inter inæquales personas contrahi non debere.*

MAgnum avitæ Nobilitatis incorruptique generis judicium hodiè haberi solet, si impares nubtiæ prohibeantur, caveaturq; studiosè, ne quis nobilis ignobilem aut statui suo enormiter imparem sibi matrimonio jungat, quod ut obtineatur, etiam ignominiæ notâ inustâ illis,

qui secus faciunt, & amissione nobilitatis interdictum & olim hodièque fuit. Rationes ejus rei multę dari possent, sed familiam inter eas ducit I. Confusio gentium & & imminutio splendoris antiqui. II. Metus justus, ne eversis nobilibus & antiquis familijs irrepant humiles & plebeiæ. Itaq; & jam olim inter capita Legis Juliæ & Papiæ Poppeæ apud Romanos fuit & hoc. *Qui Senator est, quive filius proneposve ex filio nato, cujus eorum est, erit : ne quis eorum sponsam uxoremve sciens dolo malo habeto Libertinam, aut eam, quæ ipsa, cuiusve Pater materve artem ludicram facit feceritve: neve Senatoris filia neptisve ex filio proneptisve ex nepote filio nato nata libertino sive qui ipse, cujusve pater materve artem ludicram facit, fecerit, sponsa nubtave sciens dolo malo esto : neve quis eorum dolo malo sciens sponsam uxoremve eam habeto.* Atque hoc L. Juliæ caput fuisse Paulus retulit: Idem verò insitum in L. Papiam Poppæam fuisse Celius docet & ex Historicis Dio :

*l. 54. & 55.* Quo ipso tamen capite enubtio aliis personis permissa, ut si quem digniorem amor aut voluntas traxisset ad impar jugum lege

*Sub. tit. de jure privato Personarum: Patribus cũ plebe connu-* jungi liceret, quæ lata fuit matrimonijs frequentandis. Cum ante Legi Decemvirali neque patricio cum plebeiâ, neque ingenuo cum libertina connubij. Prius caput

matu-

maturè inolevit ap. Romanos, movente *bia ne sunto. Auspicia ne turbanto.* C. Canuleio Tribuno Pl. ut viam plebi per connubia ad consulatum sterneret: quod nec fugit Patres: igitur gravissimè apud Livium in rogationem Canulei invehuntur: *lib. 4.* *Contaminari sanguinem eâ suum confundique jura gentium querentes; & Canuleium colluvionem gentium, perturbationem auspiciorum publicorum privatorumque afferre, ne quid sinceri sit, ne quid incontaminati, ut, discrimine omni sublato, nec se quisquam, nec suos noverit: Quam enim aliam vim connubia promiscua habere, nisi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis patrumque, ut, qui natus sit ignoret, cuius sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius Patrum sit, dimidius plebis, nec secum quidem ipse concors, & quæ ibi sequuntur.* Pervicit tamen Canuleius importunissimâ suâ oratione & non minus virulentâ, quæ ap. Liviũ d. l. legi poteſt. Apud eumdẽ verò Liviũ legas Virginiam Auli filiam Patriciam L. Volumnio consuli ê plebe enubtam â Patricijs matronis ideo sacris Patriciæ Pudicitiæ, cujus templum in foro Boario erat ad ædem Herculis, prohibitam longè pòst. *lib. X.* Posterius caput L. Papia Poppæâ abrogatum est, oratione item D. Marci & S Cto. Semper tamen indignè tulere & ipsæ puellæ aut fœminæ, si indigna sortirentur matrimonia

ſtatu ſuo aut nobilitate. Sic Mardane Aſtyagis filia elocatam ſe â Patre Cambyſi Perſæ min⁹ æquo animo tulit, quod event⁹ declaravit. Sic apud Tacitũ Iulia florentib⁹ Cajo & Lucio Tiberiũ, in cuius matrimonio fuit, ſprevit ut imparem. Quæ tamẽ verba Lipſius aliò referre videtur cum interpretatur Taurũ imparem fuiſſe Tiberiũ ad illud jugum. Ibidem, hoc eſt Romæ ex alterâ parte adverſis animis acceptũ, quod filio Claudij Socer Sejanus deſtinaretur: polluiſſe nobilitatẽ familię videbant, ſuſpectumq; jam nimiæ ſpei Sejanũ ultrâ extuliſſe. Et rurſus: pars mœroris fuit, quod Iulia Druſi filia, quondã Neronis uxor denubſiſſet in domũ Rubellij Blandi, cuius avum Tiburtẽ Equitem Romanum pleriq; meminerant. Apud Saxonem Grammaticum etiam Ulvilda Regis Danorum Hadingi filia, quod Guthormo privato homini nubtum elocata eſſet: graviſſimè conqueritur, ſe in obſoletos & deſpicabiles amplex⁹ tranſmiſſam ab ignavo patre, ſuæ felicitati thori commercium derogare, ſuam munditiem immunditiam ruralem contrectare, ſuam dignitatem indignitatem vulgarem inclinare, deniq; ingenuitatem ſuam maritalem conditionem extenuare. Eſtq; eo progreſſa hæc Ulvilda, ut crebris interpellationibus virũ

lib. 1. Annal.

lib. 3. Annal.

lib. 6. Annal.

lib. 1. Hiſt.

cò

eò adigeret, ut mortem Regi ſpe potiundi regni inferret. Ex quibus omnibus apparet præter ſanguinis confuſionem, rem etiam aut impares iſtas nubtias metu non carere. De infamiâ certum eſt itidem, quæ eiuſmodi matrimonia conſequi ſolet. Nam ut nihil dicam de Marchione Saluſtiarum, qui Griſelidem, non ſine populi odio, puellam ruſticam duxit quia teſtis & ſcribtor idoneus deeſt: Verba tamen Dubravii Scribtoris Hiſtoriæ Bohemicæ celeberrimi de Vldarico XXI. Bohemorum Duce non poſſum præterire: *Ne*, inquit, *Vldaricus absq; uxore planè ſolitarius ageret, initio ſtatim Principatus animum ad matrimonium appulit. Evenit autem fortè, ut â venatu revertens, incideret in puellam ruſtici cujuſdã hominis filiam, linteolorũ tunc ſordes ad fontem eluentẽ: huius ſpecie pellect⁹, adequitat propius, illamq; intuens, alloquitur familiarius, ac mox uxorẽ petit, nihil motus diſſuaſione aulicorũ, jocatus etiam inter eos, ſe unâ nocte effecturũ, ut quæ heri virgo ruſtica fuerit, eadem cras fieret princeps mulier, prorſus ad Exemplum M. Ciceronis, qui de juvenculâ ductâ cavillantibus item reſpondit: deſinerent ſolliciti eſſe, unius enim noctis negotium eſſe, ut mulier & uxor fiat. Non potuit tamen efficere*, addit Hiſtoricus, *uti extra aulam res ſuggillatione careret, præſertim in cœtu matronarum nobilium, procaciter ignobilitatẽ Beatricis (id nomen ſponſæ erat) inceſſentiũ.* *Initio l. 7.*

De Ludovico Sfortiâ scribit Guicciardin[a], *eum, ut res suas adversus nepotem, quem patris hæreditate excludere per vim cogitabat, stabiliter, Blancam Mariam è fratre neptem, Johannis Galleacij, quem eversum volebat, sororem Maximiliano Federici III. Imperatoris filio, post mortem Patris item Imperatori renunciato in matrimonium collocavisse cui dotis nomine se ducatorum quadringenta millia certis temporibus numeraturum repromisit : his addidit gemmas atq; alia ornamenta pretiosa ducatorum quadraginta millibus æstimata : ex alterâ parte Maximilianus in hoc connubio pecuniam magis quam affinitatem secutus, promisit se Ludovico (Iohanne Galeacio novo affine jure suo fraudato) Mediolanense imperium eiusq; filiis auctoritate imperatoria (quasi â Philippi Mariæ obitu principatus ille legitimo duce caruisset) concessurum, eiusq; rei diploma amplissimum, persolutâ universâ pecuniæ summâ traditurum.* Verum de his nubtijs audiamus quid dicat Gerhardus de Roo Austriacæ familiæ cliens & præco facundus : *Maximiliani I.* inquit, *cum Blancâ Mariâ Sfortiâ nubtiæ non probabantur plerisq; Germaniæ Principibus, quod Sfortiarum ac Vicecomitum familia Austriacæ veteri & tot majorum imaginibus auctæ prosapiæ impar esset, videretq; Cæsar, dote magis quam genere adductus, eam adfinitatem inire.*

Lib. 1. Hist. p. 45.

l. XI. Hist. Austr. p 392.

Inter

Inter alias etiam caussas cur Ericum fratrem Sueciæ Regem Iohannes Finlandiæ & Carolus Sudermanniæ Duces regno privarint, affertur & hæc, auctore Thuano, l. 43. Hist. quod inauditâ levitate & imprudentiâ Catharinam lictoris filiam ex concubina contra omnem honestatem in uxorem duxerit 4. Non. Iun. sollenniter Holmiæ in templo coronâ regali ei imposita; Sic ordines Provinciarum Ferdinandi Archiducis Austriæ noluere liberos ex Philippinâ VVelserâ eleganti ingenio & formâ virgine patriciâ Augustæ Vindelicorum familiâ natâ Patri succedere, non tam ut opinatur Thuanus, quod clam patre Ferdinandus illam sibi sociasset, quales nubtiæ minimè legitimæ censeantur: quam quod impar esset matrimonium, & liberi ex eo suscepti tantæ successionis capaces non viderentur. Itaque vix multis precibus ab ordinibus impetrare potuit, ut exiguum castellum ex tam opulento patrimonio detraheretur, quo Carolum grandiorem natu filium, ex Velserâ natum, cum Marchionis titulo donavit, Andreas alter filius, ut in Collegium Cardinalium cooptaretur â Gregorio XIII. facile obtinuit, quod si pro conjugio legitimo Pontifex non habuisset, facturus id sanè non fuisset, cum Cardinalitius honos

non

*non nisi ex legitimo matrimonio procreatis attribui soleat.* Ex quibus omnibus Exemplis perspicuè satis apparet, impares nubtias periculosas non minus quam infames esse. Vidit hoc Iulius III. Pontifex Romanus, qui cum Henricum II. Gallorum Regem offerentem Balduino Fratris filio regii sanguinis virginem ludificari vellet, Lausacum Legatum Galli rem urgentem cum his verbis dimisit: *Quam ex nobilissimâ omnium, quæ unquam fuissent, familia rex prognatus esset, tam se ac suos omnium qui viverent mortalium ignobilissimos agnoscere:* (Fuit autem is Iohannes Maria Montanus) *proinde nubtias, quæ inter pares melius coirent, inter inæqualeis adeò personas commodè contrahi non posse,* vt au-
l. 14. ctor est idem Thuanus.

## CAPVT II.

### *Clades magnorum virorum facile misericordiam aliorum etiam hostium excitant.*

VAldè efficacia & penetrantia sunt verba Viri illustris Iacobi Augusti Thuani lib. 1. Historiæ suæ, quâ agit de infelici & san-

ſanguinolento illo prælio ad Ticinum commiſſo inter Carolum Imp. & Franciſcum Gallum, quo hic etiam captus eſt Anno MDXXV. X. Cal. Febr. *Clade eâ,* inquit, *proſtratis omnino Galliæ viribus, uti videbatur, tamen rex victus tantum efficere potuit, quantum incolumis vix auſus eſſet optare, exemploque ſuo verum eſſe comprobavit, regum afflictas res multorum opes allicere ad miſericordiam dum quisque in præpotentum cladibus efficacius conditionis ſuæ admonetur. Nam Cæſar licet moderato animo ſucceſſum hunc tuliſſet, tamen invidiam Italicorum Principum vitare non potuit, qui, timentes rebus ſuis, etiam non rogati conſilia ultrò communicarunt, ut jacentem Franciſci fortunam, quâ poterant, ſublevarent, & victorem nimiâ proſperitate exſultantem reprimerent.* Quod ipſum ante quoque fecerat Iulius Pontifex, cum Veneti Maximiliani I. Cæſaris & Ludovici XII. Gallorum Regis armis penè ſubcumberent qui, ut loquitur Hiſtoricus, *cum Galli Regis ingenium proferendi imperij maximè avidum noviſſet, Italiæque totius poſſeſſionem fortunâ proſperâ elatum adſectare, Venetos, ne ultimo excidio involuerentur, ſublevandos cenſuit.* Hæc conditionis humanę & viciſſitudinis rerum memoria ſœpe numero hoſtes quoq; ab odio re-

*Petrus Juſt. Hiſt. Venet. l. XI. p. 23.*

revocavit & ad misericordiam flexit. Sic C. Iulius Cæsar Pompeij capite viso, illacrymavit, lamentatusque est, eum civem generumque suum nominans, & commemorans, quot quantisque in rebus mutuas quondam sibi operas præstitissent. Quod quamquam simulatò factum contendat
lib. 42. Dio, & proinde risum meruisse adfirmet, tamen Plutarchus ita commemorat, ut ad laudem Cæsaris omnino referat, sicut & Appianus, qui Cæsarem omnes Pompeï interfectores morte mulctasse scribit, Photinum nimirum & Achillam: quemadmodum & Theodotum in fugâ Cassius arripuit & ê cruce suspendit. Sic Cæl. Flaminij Consulis ad Thrasymenum lacum superati atque obtruncati corpus ad funerandum ab Hannibale quæsitum fuisse refert Valerius Maximus, non autem inventum quamquam magnâ cum curâ inquisitum,
l. 1. c. 6. l. 22. Livius. L. quoque Cornelius consul Ducis Carthaginiensium Hannonis corpus tabernaculo suo amplo funere extulit hostisque exsequias ipse celebrare non dubitavit, eam demum victoriam & apud Deos & apud homines minimùm invidiæ habituram credens, quæ plurimum humanitatis habuisset. Ut auctor est idem Valerius,
lib. 5. c. 1. Antonius item, ut de eo narrat Plutarchus

non

non ſine magnâ humanitatis laude Archelaum defunctum tractavit: cum quo, cum illi familiaritas & jus hoſpitij interceſſiſſet diu, bellum autem poſtea gerendum eſſet neceſſario, in quo Archelaus occubuit: corpus interfecti requiſitum repertumque regio cultu funeravit: quo facto & magnam præclaramque ſui memoriam Alexandrinis reliquit & apud milites Romanos habitus eſt fortiſſimus. Neque deſunt recentioris Hiſtoriæ Exempla: Nam & apud Froſſardum Monfortius videns cadaver Caroli de Bloys, etſi hoſtis erat, lachrymas tamen non continuit. Et Solymannum Turcam hominem barbarum & immanem accepimus, cum poſt victoriam ad Mugatium ex prælio deportatam, in quâ Ludovicus Ladiſlai filius, Caſimiri nepos annum agens ætatis XXII. ſuorum temeritate perijt imagines Ludovici demortui & Mariæ uxoris contemplaretur, illacrymaſſe, etiam in tanta victoria humanæ videlicet conditionis memorem, quod Rex in illa florenti ætate pravorum conſultorum impulſu ſe in tam apertum exitium præcipitaſſet: quippe non eo conſilio ſe veniſſe dicebat, ut regem paterno regno exſueret, ſed ut Hungarorum inſolentiam refrenaret, & ipſum beneficiarium Othomanni-

*lib. 1.*

*Thuanus l. 1.*

mannici imperij efficeret. Factum hoc est anno Salutis per Christum partę MDXXVI. cum simile specimen edidisset jam ante annos IV. hoc est anno Sal. MDXXII. dedita per Philippum Villadamum Rhodo insulâ honestissimis conditionibus religiosissimèque observatis, ut plerique scribunt Historici, (neq; enim unius Iacobi Fontani, quamq̃ eo tempore jus Rhodiis dicebat relationi contrariæ adsentiri possum) in ipso Villadamo Equitũ Rhodiensiũ Magistro, quem cum urbem ingressus esset die XXV. Dec. & comiter admisit & propter ætatem venerabiliaq; senectutis insignia Patrem apellavit, cumq; veniã discessus cum suis peteret. Tyrannus ad Habraimum Bassam quem unicè præ ceteris amabat, quemq; solum tum secũ habebat, dixit: Profecto non possum nõ dolere infelicẽ hunc senem, propria domo pulsũ, adeò tristem hinc abire: itaq; addidit illi tormenta aliquot contra piratas, si opus foret: Additq; Jovius se ex ipso Villadamo audivisse: quod, cum Solymannus triginta millibus hominũ comitatus Rhodũ ingressus est, ne unum quidem verbũ ex alicuius ore auditũ, adeo ut milites per Urbem incedentes, monachi observantes, quos vocant, esse viderentur. Neq; hac gloriâ fraudari iniquè debet Horati' quoq; Farnesius ma-

*Iovius in Solymanno, ex eo Arnoldus Ferronus in Francisco Vallesio lib. 6. exemo.*


*Thuan. l. 8.*

magni nominis Dux, Qui, cum Torciaræ oppidũ, cui Macedoniæ Princeps cum præsidio præerat XVI. Kal. Dec. A. MDLI. nemine penè animadvertente in suã potestatẽ redegisset, & Macedoniæ Princeps, ut negligentiæ culpam animi præsentiâ sarciret, seminudus in medios hosteis irrueret, ibidẽq; ictu sclopeti confossus caderet, corpus ejus Parmã asportari jussit, & regio ac magnifico paratu funus struxit, & genti & virtuti hostis dandum hoc ratus. Apud Ioviũ legimus, *cum M. Antonius Columna Cæsarianarũ partium Dux in Veronensi obsidione, quã ille urbem tuebatur, dum in erigendis tibicinibus ardẽtius atq; incautius versaretur, majore scloppeto ictus esset, ut pilâ plumbea per brachium adactâ corpus etiam sublato humeri osse per alam in tergum quatuor effectis vulneribus emerserit, & ex eâ lethalis plagæ acerbitate, cum pertinaci febre diu conflictatus, summum vitæ periculum adiisse crederetur: Lotrechium, tametsi hominem, qui omnibus bellis acerrimus Gallorũ hostis extitisset, publicè oderat, atq; ut erat potiundæ urbis & militaris gloriæ avidus, plurimũ adversarij ducis incommodo lætaretur, tamen quum singularis viri casum magnopere doluisset & medicũ ei obtulisse, & quotidie ad eũ gratissimarũ rerũ munera sicuti morbus & afflictæ urbis miseria flagitare videbantur, officiosè humanissimèq; transmisisse*, & addit

l. 18. Hist. p. 897.

cur Lotrechius hoc fecerit: *Erat enim*, inquit, *M. Antonius Columna maximarum virtutum gloriâ, quæ nullis in eo ingentibus vitiis obscurabantur, etiam apud hostes illustris.* Ex quibus omnibus apparet jus belli non tollere aut abrogare jus Humanitatis, sed posse utrumque rite sociari copularique, & cum summa dignitate ac gloriâ fortissimorum quoq; Ducum & imperatorum. Quid quod hostes certarunt, inter se humanitate tamquam alter ab altero provocatus: Ita sanè Collenutius de Alfonso Neapolitano: *Alfonsus*, inquit, *in pugna terrestri suorum adversus Sfortianos, cum virtutem Sfortiæ stupesceret: vetuit, ne in eum locum, ubi Sfortia pugnaret, tormenta emitterentur. Quam rem cum Sfortia ex captivo Squarziâ cognovisset, mandavit & ipse vicissim toti exercitui, ne tormentis Alfonsi navem deinceps petant, ne alter altero humanior videretur.*

*lib. 5. Hist. Neap.*



## CAPUT III.

*Strategemata quædam, per quæ deteguntur ea, quæ ingrata sunt auditu, aut minus tuta relatu.*

Magnum

MAgnum est & evidens hoc improbitatis humanæ argumentum, quod quæ facere non veremur, ea referri narrarive ab alijs indignamur, multò autem gravius commovemur, si turpitudo nostra nobis objiciatur. Haud paullò melior C. Vatinius olim, qui cum distortis esset pedibus, fertur ipse in pedes suos plurima cavillatus, vel ideò maximè, ut Ciceronis adversarii sui dicacitatem & sales, quos avertere non poterat, præverteret solum: ratus inter infamiæ remedia esse infamiam adjuvare. Impudentior verò Tiberius, de quo Xiphilinus scribit, singula diligenter eum pervestigasse, quæ sibi homines exprobrarent, eaque comperta contrà se patefecisse. Quod si verò Tacitum audias, nec audivit facilis sua opprobria Tiberius, nec quisquam ei narrare est ausus facile. Repertum est tamen commentum insigne, quo cogebatur sua flagitia coram senatu volens nolens audire, cum summâ animi sui ægritudine. Narrat id Tacitus his verbis: *Ac forte habitâ per illos dies de Votieno Montano celebris ingenij viro cognitio cunctantem jam Tiberium perpulit, ut vitandos crederet Patrum cœtus, vocesq; quæ plerumq; veræ & graves coràm ingerebantur. Nam postulato Votieno ob contumelias in Cæsarem dictas, testis Æmylius è* 4. Annal. c. 42.

 *mili-*

*militaribus viris, dum ſtudio probandi cuncta refert, & quamquā inter obſtrepentes magna adſeveratione nititur, audivit Tiberius probra, queîs per occultū lacerabatur, adeoq; tunc perculſus eſt, ut ſe vel ſtatim vel in cognitione purgaturum clamitaret, precibusq; proximorū, adulatione omniū, ægrè componeret animū. Et Votienus quidē majeſtatis pœnis adfectus eſt. Submiſſus videlicet teſtis fuit, qui, ſub ſpecie probandi crimen objectum, atrociſſimè omnia repetijt, quæ Tiberius peccarat, eiq; in os ingeſſit, non ſine acutiſſimo ſenſu & dolore animi.* Ab hoc fonte manarunt alij modi aperiendi vulnera ſeculi, ê quibus non contemnend' eſt is, quando per geſtus ſolos aut actionē ſine vocis adminiculo quædam docentur, ſeu, ut hodiè loqui amant, per fabulas mutas. Taliſ exhibita fertur olim Augustę Carolo V. & Ferdinando fratri Auguſtis. Cum enim illi ad menſam pranſum conſediſſent, offerunt ſe quidam fabulam acturi, eâq; cibum ipſis condituri: Admiſſi ſunt facile: Primùm igitur ſe infert perſona larvâ contecta habitu Doctorali, ferens â tergo nomen Iohannis Capnionis ſive Reuchlini ſchedæ inſcribtum: portabat hic ſtruē partim rectorum partim lignorum curvorum, proiiciebatq; in medium atrium, nullo ordine, quo facto recedebat. Digreſſo eo ſuccedebat alia perſona itidem velata, nomen habens

*Iacob. Beinhart in præfat. libri quā inſcribſit* Hertzenſchatz *fol. 45. 6.*

habens Erasmi Roterodami, habitu tanto viro convenienti: hic conabatur curva rectis exæquare lignis, quod cum frustra diu multo labore egisset, tandem quassans caput, animo inde recedebat commoto. Sequitur ecce Monachus, Lutheri nomen præferens, in arulâ ferens ignem & prunas, hic distorta illa ligna succendens, ut altum flamma volaret, in cineres redigere laborabat, vidensq; flammam concepisse, subduxit sese. Inde prodit quidam habitu Imperatorio, qui, cum ignem depasci distorta illa ligna videret, stricto gladio vim â lignis avertere conabatur, quo magis autē gladio ligna fodicabat aut feriebat, eò magis invalescebat flamma, itaq; & ipse iratus ac furibundo similis recessit, Tandem Papa se intulit Leonis X. titulo â tergo insignis, & complosis ex terrore manibus circumspicit malo remedia, quibus videlicet ignē sopiat: quod dum facit curiosius, videt emin' stare duas amphoras, alteram oleo, alteram aquâ plenas, quib' conspectis, irruit velut amens in amphorā oleo plenā eamq; igni affundit, unde flam̄a vires sumit & latius se diffundit, sic, ut eius violentia coactus, fugere properè cogeretur. Qua actione in̄uebant Actores, Iohan̄em Reuchlinnm principem Artes & Linguas veterūq; dogmata in Germaniā in-

ex illis alia recta, hoc est Orthodoxa fuisse, alia curva & distorta, hoc est, minimè fidei Analoga & mera hominum somnia & Idololatrica commenta. Huic successisse Erasmum Roterodamum, hominem pacis publicæ & tranquilitatis studiosum, qui studiosè id operam dederit, ut conciliarentur recta distortis & sic utraque starent, verùm frustra fuisse & utrimque vapulasse. Successisse verò Martinum Lutherum hominem spiritu Eliæ donatum, qui commenta ista & stipulas igne verbi DEI in cineres redegerit, frustra prohibente Imperatore vi armata & ferro, Pontifice verò suis bannis exsecrationibus & excommunicationibus non plus efficiente, quam forte solent illi, qui oleum camino ardenti solent addere. Peractâ fabulâ & nemine ultrâ comparente: jussere Augusti inquiri de auctoribus, sed illi mature satis se in pedes conjecerant, parùm vel de gratiâ vel de præmio solliciti, postquam Cæsari id quod res erat ob oculos posuissent, & quid contra Veritatem molimina possent hominum, edocuissent. Placuit hic modus Gallis etiam quo usi sunt cum Franciscus II. Rex Cæsarodunum primùm ingrederetur Anno Sal. MDLX. Tunc enim Pistor quidam Urbis puerum filium visendi Regis

*Thuan. l. 25. p. 4. p. 189.*

cu-

cupidum ad pompam ſic inſtruxit: Aſinum molendinarium ſupparo uxoris inſternit, eique puerum imponit oculis faſciâ obvolutis cum galeâ ligneâ, cui avicula capite rubro Pſittaci inſtar inſidebat, & crebris morſicationibus criſtam eius roſtro depaſcebatur. Tum duo juvenes, Æthiopum cultu, facie atramento illitâ & peregrino habitu, aſinum prenſis hinc inde habenis deducebant. Hoc ſpectaculo regni ſtatum oculis ſubijci interpretabantur omneis, quod â Rege puero ætate & miniſtrorũ arte cœco teneretur, & ab hominibus externis adminiſtraretur: neque hoc fugit Guiſios, qui ſe perſtringi ſentiebant, quorumque animi ſuſpicaces valdè exulcerabantur eo facto. Sed & in morte Franciſci pari ratione Guiſii exagitati ſunt, Cum enim Franciſci corpus per Sanſacum Broſſium ac Ludovicum Guillartium Sylvanecti Epiſcopum jam cœcum exiguo admodum comitatu Fanum Dionyſii deductum vilibus exequiis ſine vlla penè pompâ funerari juſſiſſent, & ab hoc inani pietatis officio ſe ſubduxiſſent, alterum magis neceſſariũ cauſſati, ne videlicet Reginam viduam deſererent, gravi invidia publicê laborare ceperunt, quod extremũ pietatis officium negarent illi, qui eos ſummis honoribus

*Idem Thuan. l. 26 p. 4. p. 285.*

auctos, quasi in regni consortiũ assumserat: Auxit hanc invidiam quod tunc evulgatum fuit, eos XXXCIↃ. aureorum, cum Franciscus animam ageret, ex regiâ Gazâ in domum suam comportari jussisse. Itaq; panno serico, quo féretrum Regium involutum erat incerto auctore inscribtum erat, VBI NUNC TANAQUILLUS CASTELLUS? Castellus autẽ is perillustri in Armoricâ ꝓgnatus gente, cubiculariorũ nobiliũ Princeps sub Carolo VII. fuerat, & quam optimè de rege ac regno meritus, cum domum relegatus esset, mortuo hero statim in aulâ occurrit, & in funus regiũ ab omnibus neglectum de suâ pecuniâ XXX CIↃ. aureorum egregio grati animi exemplo dependit. Itaq; Castelli mentio injecta, ut eius comparatione Guisianorũ ingratitudo notaretur, quod scribtũ ab omnibus palàm lectum sum̃a tamen patientiâ dissimularunt. Quod Gallorũ meliorum factum sumtum fuisse recordabar â Romanorũ veterũ virtute, qui Cæsare rerũ potiente in pede statuæ senioris Bruti ad excitandã virtutem alterius scribserant: BRUTE DORMIS? VTINAM BRVTE VIVERES: In nuperis etiam turbis quæ Reginam â Principibus sanguinis sive paribus Franciæ diviserant acta quoq; est fabula muta, eiusq; series ad nos relata, sed quia de interpretamẽto non satis liquet, referre supersedeo, Ca-



# CAPUT IV.

## *Per quæ quis peccat per eadem puniri solet.*

INter alia evidentissima Iustitiæ divinæ argumenta non postremū est jus Talionis, quod observare solet, ita enim immittit & dirigit pœnas ut respondeant delictis, quod observatum semper Viris prudentibus & in DEI judicia animum intendentibus. Cui rei illustrandæ quæ observata mihi, ea in hoc caput congeram, lectu non injucunda spero,& fortasse non ita protrita. Initiū autem faciam â piis cogitationibus Matthæi VVestmonasteriensis super interitu Iudæ: *Exivit*, inquit, *Diabolus cum animâ illâ sordidâ & immundâ per ventrem Iudæ, nō per os eius, sicut introierat post buccellam, ut sic parceret ori, quo Servatorem osculatus fuerat. Non enim tam viliter debuit inquinari, quod tam gloriosum os, Christi scilicet, contigerat. Dignum erat, ut viscera, quæ proditionem conceperant, rupta caderent, guttur item quo vox proditionis exierat, laqueo arctaretur. Sæpe etenim modus pœnæ exprimit modum culpæ, unde abscinditur homini caput corporis, quia ipse sibi abscidit caput mentis id est rationē. Sic & Iu-*

*Iudas mortuus eſt in aëre, tamquam aëris poteſtatibus ſociandus. Congruum enim erat, ut ſepararetur ab angelorum atq; hominum regione, qui infenſus fuerat utriſq;, & ideo modus & locus congruit pœnæ.* Hæc Matthæus. In Hiſtoria Tripartita legitur ſimilis meditatio, Cum Antiochiæ Iulianus Imperatoris Iuliani Apoſtatæ Præfectus in ſpoliatione templi Chriſtianorum ſtrenuum ſe præberet & eo quidem usque progrederetur, ut præter nefarias in Chriſtum jactas blaſphemias, aram quoque impudentiſſimè permingeret, Euzoium etiam Chriſtianum prohibere tentantem graviter in capite ſauciaret, pœnæ impietatis eum ê veſtigio ſubſecutæ ſunt: Repente enim ſævo morbo correptus inteſtina quidem per alvum ejecit, excrementa autem non per naturales Egeſtivos meatus, ſed ſceleſtum os eius, quod ante horrendas in Chriſtum blaſphemias evomuerat, ſordes etiã & retrimenta corporis ejecit vitamq; miſerrimè finivit. Nicephorus Calliſtus Iulianum ſolum inſediſſe ſacris vaſis ait, alium verò aram per minxiſſe, de ſupplicio verò eadem narrat & prolixè quidem ac graviter: *Os*, inquit, *ſceleſtum, quod blaſphemiæ & maledictorum fecerat inſtrumentum, pars corporis obſcæna, per quam excerneret, eſt factum.* Vocat idem Nice-

l. 6. c. 32.

Hiſt. Eccl. l. 10. p. 594.

Nicephorus hunc Julianum avunculum jmperatoris, & vniverso Orienti cum imperio præfuisse ait. Apud Thomam Facellum Siculæ Historiæ scribtorem memorabilem quoque in hanc rem legimus historiam. Carolo Siciliæ Rege imperante Henricus (quem Henrichettum appellabant) Claromontanus genere, Francus, vir bello & nobilitate clarissimus, cum in Ludovici & Philippi postea Francorum Regum odium incidisset, Franciâ discedens, Caroli militiæ apud Neapolim se mancipavit. Erat huic Henrico uxor formâ eximiâ & præcellenti, quam Carolus, ut vidit, efflictim amare cepit, tandemque aut imperio aut pretio corruptam violavit. Quo cognito Henricus ad tempus dissimulatam injuriam vindicare tandem talionis pœnâ statuit. Erat quippe Carolo filia nubilis pulchritudine nulli inferior, cujus Henricus virginitate deflorata uxoris suæ dedecus ultus est, mox autem Regis iram veritus, cum uxore & Simione filio ad Petrum Aragonensium & Siciliæ Regem, dum in castris contra Carolum esset, defecit, â quo & benignissimè exceptus est, & Claremontanæ deinceps familiæ in Siciliâ Illustrissimæ auctor exstitit. Eamdem talionis pœnam sensit Iohanna I. Roberti Siciliæ

*Decad. post. l. 9. c. 1. pag. 456.*

Regis

Regis neptis, quæ Andreasso Vngariæ Regi nubsit: Hæc tertio post nubtias anno cum una Aversæ essent, nocte quadam derepente maritum ad se accersit, ceu quid ex improviso accidisset, quo accurrente, cum in angustias quasdam pervenisset, compræhensus ex insidiis & injecto in collũ laqueo Reginæ jussu strangulatus est. Cujus rei caussa narratur fuisse, quod Andreassus etsi admodum juvenis esset, tamen inexhaustæ libidinis fœminæ minus satisfacere videretur. Verum hæc ipsa Iohanna eodem prorsus loco jussu Ludovici Hungariȩ Regis fratris Andreassi, eodem & modo, laqueo videlicet, vitã finivit, procurante necem Carolo Dyrrachino, historiã recensente Pandulpho Collenutio. Sed recentiora quædã etiam consideremus, quorũ initium nobis faciat Henricus II. Gallorũ Rex, qui cum adversus Huguenotas improbis consilijs exagitatꝰ instar procellȩ alicuiꝰ desæviret, neq; semel aut iterũ sed pluries jactasset, oculos se suos pasturũ in cæde & sanguine Huguenotarũ, dum, III. Kal. Vtileis Anni CIƆIƆ LIX. circa apparatus nubtialeis Margaritæ sororis & Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis, frequenti ac læto spectaculo cum Mongomereo comite concurrit, confractis utrinq; hastis, infelici casu apertâ forte casside, in oculo ex trunci ictu secundariâ percussione

*lib. 5. Hist. Neap. p. 216. & 227.*

vulnus

vuln' accepit, ex quo titubans ex equo â suis
exceptus est, ac Turriculas relatus, ex quo
vulnere VII. Non. Vtileis decessit, sic, ut
im̃ani suâ voluptate perfrui non potuerit.
Ferunt cum efferretur, ad Basiliã adversã, in
qua Annas Burgius & alij Senatores captivi
adservabantur, itentidẽ respexisse ac sœpius
dixisse, vereri se, ne injũriã innocentib' ho-
minibus fecisset: ad quas voces Cardinalem
Lotharingũ subiratũ monuisse regem, eam
mentem illi â maligno spiritu im̃itti & hoste
generis humani, â quo proinde sibi caveret
& constantiam in fide servaret. Annotatum *l. 22. extrem.*
etiã â curiosis scribit Thuanus Regem qui
duellum seriũ rem Christianâ religione ve-
titã, infaustis regni auspiciis adprobasset, in *Thuan. l. 25.*
ludicro duello vitã amisisse. Divinã quoq; *p. 4. p. 244.*
hanc vindictam Albaspinæus sensit, qui cũ
oris obstruendi ministris in Gallia auctor
fuisset, paullò pòst insano cujusdã fœminæ
amore correptus, ex eoq, furore contracto,
accedente adhoc pediculari morbo, inter
gravissimos cruciatus exspiravit: freno ab
amicis in os injecto, ut cibum reciperet, quẽ
ob doloris impatientiã, cum fame mori de-
crevisset, homo rabie efferatus respuebat. In
bello deniq; in Galliâ contra Convallenseis *Thuan. l. 27.*
susceptoAn. MDLX. insigne ultionis divinæ *p. 5. p. 27.*
exemplũ emicuit, Nam cum q̃dã Irriquera-
te pago, Ioh.

Ioh. Martinus Trombantius nomine, Angrunienſi Paſtori nareis abſciſſurum ſe aliquoties minatus eſſet, haut multo pòſt â lupo rabie efferato circumvenitur, qui naſum jactabundo homini dentibus avulſum devoravit, ex quo contagioſo morſu ipſe ſtatim rabie correptus, miſerabiliter perijt. Refert Hieronymus Conneſtagius (lib. 10. de Coni. Portug. & Caſtellæ p. 521.) Emanuelem Sylvium, cum Melchiorem Alfonſum ſuſpectum haberet, quaſi Philippo Hiſpano addictus eſſet, interfici eum juſſiſſe & caput in publico exponi, cujus cognaticum caput removeri peterent, reſpondiſſe, tum remotum iri cum ſuum ipſius ibi ponendum eſſet, innuens nunquam remotum iri, ſed imprudens ſibi ipſi fatum ſuum prædixit. Nam poſt ad oppidum Altaria â ſervâ Æthiope perditus captusq;, â Marchione S. Crucis gladio caput amiſit & ſublato Melchioris Alfonſi, eodem in loco poſitum fuit. Hanc porrò legem quia DEVS ipſe delictis dixit, ſapientiſſimi olim quoque Legumlatores in Reſpùb. ſuas introduxere: Moſes, Rhadamanthus, & Decemviri ap. Romanos: neque ſatis juſtas habuit cauſſas Agellius repudiandi vel propter legis incommoditatem vel propter retaliandæ pœnæ difficultatem: Nam

& Tur-

& Turcę hodiè & multæ aliæ gentes castissimè legem hanc talionis observant, quam in rem vide Venerandum & Amplissimâ dignitate senem, Philippum Camerarium ICtum celeberrimum & Patronum meum æternâ observantiâ & adfectu colendum. *l. 1. Hor. subcisiv. c. 90.*



# CAPUT V.

## *Deformes aut corporis aliquo vitio infames non statim abjiciendos.*

NImis crudeles & Draconis quoq; sanguine scribtæ videntur Leges illæ Politicorum quæ mutilos aut aliquo corporis vitio deformes infantes olim tolli jubebant qualem proponit Aristoteles: ἔςω, inquit, νόμος μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν: Rationem adferunt Politici duplicem: quarum altera: quod huiusmodi manci aut informes partus conflictari alioqui cum magnis miseriis necesse habeant & nullum veræ vitæ fructum gustare possint, alijs etiam oneri sint & molestiæ: quo allusit festivissimus Comicorum: *7. Polit.* *Plautus Trinummo Sc. Quo illic homo.*

*De mendico* ( inquit) *malè meretur, qui ei dat, quod edit, aut quod bibat,*
*Nam & illud, quod dat, perdit, & illi vitam producit ad miseriam.*

Cui cognatũ est Apophthegma Laconicũ ap. Plutarchũ: Mendic⁹ â Lacone stipẽ petebat: hic verò, *si darẽ*, inquit, *tibi, eo magis mendicares: Nam huic tuæ miseriæ caussã præbuit is, qui primus tibi dedit.* Altera verò caussa, quod mutili tales aut deformes reipublicæ utibiles minimè sint, oneri poti⁹, ut mortua mẽbra, quiq; delicatioribus viã præeant ad ignaviã quoq;, & destituendã Remp. Verũ utraq; caussa ἀσεβὴς & inhumana est : de priori nihil adtinet probare : Habet enim Deus suas caussas, cur interdum informes huiuscemodi part⁹ nobis speculi loco proponat in quos competat versus ille Græcus: ἐς ἐμὲ εἰσορῶν, εὐσεβὴς ἔςω. quorũ deformitas excitet in nobis mentem ad agendũ gratias Deo, qui nos integris membris & humana formâ esse benignè voluerit: quo detestabiliores sunt qui in Bacchicis istis Orgyis larvæ malunt esse aut ex Dauniâ & Getuliâ monstrũ, quã homines, quibus si obscœna, & qualẽ fingunt, facies esset, velarent utiq; & miseriã suã velo testarentur, quos etiam atq; etiã cavere malo jubeo, ne futuras improbitatis aut etiã iminentes festivitate obviâ pœnas præoccupent. Habet & alias, sed hoc non agim⁹ nunc. Alterã caussam vani-

tatis arguere ꝓpositũ nobis est, & sicut olim dicebant, sæpe sub sordido palliolo latere sapientiam: ita certũ esse arbitramur: sæpe corporis vitia virtutibus animi obscurari & & veluti contegi. Eleganter Seneca: *Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret: Multa ex hoc consecuta: primò sui notitia, deinde & ad quadã consiliũ: Formosus ut vitaret infamiã: deformis ut sciret redimendũ esse virtutibus, quidquid corpori deesset*: quod absolutè præceperat olim Lysias Orator: καὶ γὰρ οἶμαι, inquit, δεῖν τὰ τοῦ σώματος δυστυχήματα τοῖς τῆς ψυχῆς ἐπιτηδεύμασιν ἰᾶσθαι καλῶς. De speculi verò usu etiã Socrates: de quo Plutarchus. ὁ Σωκράτης ἐκέλευε τῶν ἐσοπτριζομένων νεανίσκων τοὺς μὲν αἰσχροὺς ἐπανορθοῦσθαι τῇ ἀρετῇ· τοὺς δὲ καλοὺς μὴ καταισχύνειν τῇ κακίᾳ τὸ εἶδος; Quæ verba eleganter interpretatus est Apuleius, cum ita adversariũ suum, qui speculi usum ipsi obiecerat, alloquitur: *An non Socrates Philosophus ultro etiã suasisse fertur discipulis suis, crebro ut semet in speculo contemplarentur? uti qui eorũ foret pulchritudine sibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatẽ corporis malis moribus dedecoraret: qui verò minus se commendabilem formâ putaret, sedulo operã daret, ut virtutis laude turpitudinẽ tegeret, adeò vir omnium sapientissimus speculo etiã ad disciplinã morum utebatur.* Facit hoc sæpe deformis & animũ ad virtutẽ excitat, ut se quoq; possit tollere humo, & cum Poëta ait;

*Nat Quæst. l. 1. Qu. 17.*

πρὸς τὴν εἰσαγγελίαν,

*In Præcept. Connubial.*

*In Apologiâ.*

*Si mihi difficilis formam natura negavit,*
*Ingenio formæ damna rependo meæ.*

Item *Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.*

Vel Æsopum vide mihi, in quo animi sapientia cum turpitudine corporis concertasse videri alicui possit. Agesilaum Regem omnibus virtutibus & imperandi artibus instructissimum quis mortalium dignè satis laudaverit? eum tamen Plutarchus claudum fuisse scribit, pusillum præterea & facie prorsus adspernandâ. Philopœmenes quem Romanus quispiam ultimum Græcorum appellavit, quasi nulla post eum Græcia virum inclytum genuerit, contempta oportet fuerit forma (quamq; Plutarch' neget) ex proprij oris confessione: Megaris enim cum hospiti noto significari jussisset Prætorem Achæorum ad ipsum venturum: Hospitis uxor, dum parat cœnam, absente forte viro, tumultuabatur: ac cum Philopœmenes interea adventaret obsoletâ amictus chlamydula, existimans illa aliquem ex ministris & anteambulonibus esse, ministerio ut manum admoveret, admonuit: Ille abjecta confestim chlamyde cepit ligna findere: Superveniente verò hospite marito & indignante, ac, quid hoc rei esset, exquirente: Quid aliud, respondit Philo-

Philopœmenes, quam, quod deformitatis meæ pœnas luo. Titus quoque Quintius in corporis ipsius habitum cavillatus fertur & in vires consequenter ejus detorsisse: Pulchras manus & crura, Philopœmene, habes, ventrem non habes. Narrat Philippus Barthol. Fridericum Imp. â venatione ad ædiculam quandam sacram divertisse: in qua missam presbyter faciebat, facie totâque corporis habitudine admodum informis, unde rapto in admirationem, Presbyter, peracto sacrificio, ê re natâ, Imperatori Davidicum illud suggessit: *Non ipsi fecimus nos, sed tu Domine fecisti nos.* Quo dicto perculsus Cæsar, voluit experiri, quid hominis esset, usus igitur est ejus operâ, & depræhendit magnam prudentiam incredibilemq; in rebus gerendis dexteritatem: unde tandem & Cancellarium illum fecit multis mirantibus. Non igitur corporis deformitas nocere cuiquam debet, si animus se rectè habeat: Nam ut Plato apud Parmenidem erudite disputat, Animus verè est homo, corpus ejus potius instrumentum, quo utitur animus, ad exsequendum ea quæ facto opus esse videntur. Nos etiam cavere debemus, ne ex corporis lineamentis de animo statim & temerè judicemus:

*tratt. del. consegl. diss. 6*

cemus : Quod monuit olim Accius Poëta Tragicus in Bruto, cum ita inquit:

Proin vide, ne quem tu esse hebetem deputes æquè ac pecus,
Is Sapientiâ munitum pectus egregium gerat.

Oratione 49.

Eleganter Dio Prasæus : οὔτε γὰρ τὸν οἶνον ἐκ τοῦ κεράμου κρίνουσιν οἱ νοῦν ἔχοντες: πολλάκις γὰρ εὑρήσεις ἐν σπουδαίῳ κεράμῳ τὸν ἐκ τῶν καπηλείων οἶνον ἐξεστηκότα. οὔτε τὸν ἄνδρα τὸν πεπαιδευμένον ἐκ τοῦ σχήματος : Neque enim vinum ex dolio judicant prudentes, sæpius quippe invenias in concinno dolio vinum ex cauponis in vappam degenerasse: unde neque virum eruditum ex corporis formâ aut cultu judicare convenit. Tu verò, quisquis es, cui aliena libido corporis dehonestamentum aut naturæ vitium objicit, illud Lucii Crassi ei regere, quod ille L. Helvio Lamiæ : Non potui formam mihi ipse fingere aut corpus, ingenium potui, ut testatum reliquit Cicero.

Caput





# CAPVT VI.

*Religiosos sive Monachos non tam Angelos pacis esse, ut vulgo creduntur, quam scelerum atrocissimorum quâ Architectos quâ ministros.*

MIris modis cōmendat Petrus Matthæus Historicus Gallus Monachos sive religiosos ab officio præstito summis Principibus animis & armis â se invicem diffidentib⁹, dum videlicet omni ope & studio id egerunt, ut, odiis positis & armis, in gratiam redirent & pacem inter se amicè colerent. *Sic*, inquit, *S. Bernhardus Moguntiam ivit, ut Lotharium Cæsarem cum Cunrado Imperatore conciliaret, & Cunradus Sineta Augustinianus Monachus pacem inter Venetos & Francos tractavit. Sfortius Savanarola sæpe â Florentinis pacis mediator amandatus. Sic Ferdinandus Imp. cum pacem suadere vellet Carolo V. Fratri & Francisco I. Gallo, usus est opera Monachi Hispani ex Guzmannorū familiâ. Clemens IIX. Papa inter Henricum IV. Gallum & Philippum II. Hispanum medium se interponens, administro usus est Bonaventura Calatagironeo Franciscanorū sodalium Generali, qui ad utrūq; Regem sanctas & salutares exhortationes pacis perferret: Sic videlicet Religiosi debent esse Angeli*

 *pacis*, inquit, &

& *Proxenetæ* respiciens credo ad D. Chrysostomi appellationem, qui monachos sive solitudinarios huiusmodi aut Eremitas τοὺς ἐν ὄρεσιν ἀγγέλους nominat, quasi qui in montibus ac solitudinibus angelicam degerent vitam. Potuisset & nuperum addere Patrem Iohannem Nevium, qui turbas inter Hispanum & Ordines sopivit. Verum demus illi hæc omnia verè ab eo dicta; mihi tamen certum est ex historijs evincere & promptum docere, hos ipsos Monachos atrocissimorum quoque scelerum architectos fuisse partim, partim ministros; & ratio est in promtu, quia latent sub cucullo & vulgus superstitione irretitum nihil de ijs sinistri suspicatur. Siculus vesper & immanis illa Gallorum clades perfici non potuit, nisi Monachi personâ adsumta: Res ita se habet: Cum Galli in Siciliâ imperitantes fastu, luxuria & crudelitate omnia complevissent, neque mandatis Caroli Regis inhibitorijs quidquam profectum esset, efferatiores quin potius fierent, tandem Ioannes Prochyta, Prochytæ insulæ olim Dominus sub Manfredo Rege (ita eum appellant Facellus & P. Æmylius-Collenutius malè Proculam) cuius uxorem Galli paullò ante, ut Petrarcha refert violaverant, callido vir ingenio & in concili-

*l. 5. Hist. Neap. p. 194.*

andis

andis hominum animis potens, & desiderio pristinarum opum flagrans & contaminatam uxoris pudicitiam ulturus accedente liberandæ patriæ à truculentâ Tyrannide cupiditate, clandestinam conjurationem adversus Gallos & Carolum toto biennio clam molitus est, pertracto in societatem Michaele Palæologo Imp. Constantinopolitano, Nicolao III. Pontifice & Petro Tarraconensi sive Arragonio, cui Manfredi genero, cuius filiam Constantiam in matrimonio habebat, Siciliæ regnum destinabat: Omnia autem hæc peregit ut scribunt Historici, abiecta nobili veste, & assumtâ vili ac tritâ â vestiario Minorum: ea simulatione sanctitatis tectus, omnia sibi terrâ mariq; pervia tutaque faciens, ut loquitur uterque & Facellus & P. Æmylius. Apud Scotos mortuo Roberto Brussio Rege Scotorum XCVII. prorege Thoma Randolpho Moraviæ Comite, Davide regis filio & regni hærede impubere adhuc, cum Angli nihil vi aperta adversus Randolphum auderent, ad fraudem occultam animum conferunt. Via brevissima tollendi inimici veneno visa est: nec defuit id molientibus minister idoneus, monachus nimirum ex eo genere, qui in otio educati, penuria magistrorum, qui recta doceant,

*Facellus Decad. post. l. 8. p. 450 & 451. P. Æmyl. in Philippo D. Lud. filio p. 157.*

bona plerumque ingenia ad malas artes applicant. In eo cum duæ conjunctæ essent professiones: monachatus & Medicinæ, altera visa est ad parandum aditum, altera ad patrandũ scelus idonea; Igitur cum in Scotiam venisset, seq; jactaret passim, cùm omnis medicinæ, tum curandi calculi peritum, facilem sibi aditum ad Proregem fecit. Adhibitus ad eum curandũ, medicinæ lentum venenũ admiscuit, deinde velut ad Pharmaca comparanda, accepto paucorum dierum comeatu in Angliã se recepit, Randolphus brevi post cum calculi dolorib' vitã quoq; amisit, ut auctor est Buchananus, cũ paucis annis antè Iohannem quoq; Anglorũ Regẽ Monachus alius veneno vitâ exegisset. Intestinam seditionem Florentiæ moliebatur Ioh. Galeacius Mediolani Dux: usus est operâ Monachi, qui specie religionis sæpius Bononia Florentiam commigrans, quod debuit rectissimè expedivit, sed cum magnâ ad extremum clade conjuratorum. De Ludovico Sfortiâ P. Jovius: Vsus est in literario scribtorioq; munere Theologis cucullatis: quo genere hominum ad longè latèq; speculandum nihil aptius, atq; securius adserebat, quandoquidem prætextu religionis omnibus rerum divinarũ ac humanarũ negotijs liberâ ubiq; & impunitâ simulatio-

*l. 9. Rer. Scot. p. 292.*

*Macchiavellus.*

ne

ne misceretur. Cum Galli Genuenses sollicitare vellent, ut Cæsare deserto suas sequerentur partes, nemo ad eam rem ꝓcurandã & dextrè expediendã aptior videbatur, quã Monachꝰ, qui illuc Massiliâ cottidiè cum literis cõmeabat: qui postea tormentis subjectus Ioh. Baptistã Furnariũ nominavit, cuiꝰ operâ Galli in sollicitandis, ad jugũ Cæsaris excutiendũ, civibus uterentur: atq; hic, cum leviter id excusasset, â non prorsus iniquis judicibus miti exsilii pœnâ mulctatus est. *Thuan. l. 6. Hist. Anno Sal. CIↃIↃXLIX.*

An. Sal. CIↃ IↃ LV. detecta fuit Franciscanorũ Metensiũ conjuratio â Cæsarianis, qui ad Theodonis villã consederant, corruptorũ, ut urbẽ proderent. *Thuan. l. 1. Hist.* Synodus illius Ordinis Meti indicta erat: ad quam ex omnibus orbis partibus delecti confluere debebant, eo colore milites monachorũ habitu introducere, & quasi dolia vino plena in tantæ multitudinis alimoniã adveherent, arma ijs inclusa in urbẽ inferre decreverant: quo facto Theodonis villæ præsidiarij, positis loco idoneo ꝓpe Metim insidiis, ante urbẽ venturi erant, contra quos, ꝓculdubio erat, nostros magno numero exituros, & ita exhausta per nostrorum eruptionem urbe, introducti â Franciscanis milites ad arma clamaturi erant, &, portis occupatis, eos qui in insidijs latebant, excepturi: quibꝰ conjuncti

quod

quod reliquum nostrorum in urbe erat, facilè oppressuri essent. Sed quia observatum à Gallis fuerat, quendam ex Conjuratis Franciscanum sœpius ad hosteis Theodonis villam commeare : suspicione obortâ, compræhendi hominem placuit, qui tormentis subjectus, rem, ut erat, aperuit, exemploq; insigni illo patuit, vulpina plerumque consilia ac teterrima monstra religionis obtentu dissimulari: itaque de eo ac consciis mox supplicium sumtum. Anno salutis CIƆIƆLVII. Gaspari Colinio maris Præfecto & Picardiæ præsidi Duaci invadendi ansam & modum præbuit Monachus : Mensarius quidam Lucensis, vitæ perditæ homo, cum nepotatu substantiam & pudorem omnem decoxisset, ex desperatione ad vitam solitariam, ut plerumque fit, confugerat, conscientiæ latebras quærens, & in colle, qui Duaco imminet, religioso cilicio tectus, domicilium fixerat: inde cum in oppidum ad emendicandam stipem cottidiè descenderet naturâ fortunam ac vitæ votum superante, curiosè situm pomerium ac fossam Urbis contemplatus fuerat & loca infirmiora notaverat, & Colinium solicitaverat. Cum nefario parricidio tollendus videretur Henricus III. Gallorum Rex, qui auderet, nullus erat, nisi

nisi Monachus Iacobus Clemens: Henrici IV. parricidium non ausus committere Monachus, sed laudare ausus Monachus in æde Agrippinensium metropolitanâ factum, quo loco Historicus. *Quæ proba instructio laudare sicarios? ô tempora?* Ex quibus dictis apparet sœpe sub larva illa religionis latere immania monstra & Monachos non semper esse Angelos, nisi forte de comitatu Luciferi cœlo expulsi dici velint. P.| Matth. l. 6. conten. Hist. p. 400.

Hoc solùm Monachus nimirum â Dæmone distat,
Quod quidquid vafer hic suggerit, ille facit.
At si juncta dolis anus adjuvet & colat astu,
Audebunt Erebi depopulare domũ.

Vt canit Poëta quidam: Hisce autem artibus immensas sibi pariunt opes quæ quomodò illis veniant, miror ego quosdam mirari. Zosimus olim de ijs: *Erant tum Constantinopoli Monachi, qui legitimis nuptiis abstinent, & tam in urbibus quam in vicis populosa collegia complent hominibus non maritatis, nec ad bellum, nec ad alium Reip. Necessarium usum idoneis, nisi, quod viâ quadam progressi, ab eo tempore in hunc usq; diem, magnam agrorum partem ad se transtulerunt, & sub prætextu, quasi cum pauperibus omnia* l. 5.

*com-*

*communicent, omnes, prope dixerim, ad inopiam* in Chron. p. 1876. *redegerunt.* Et Lambertus Schafnaburgensis: *Mirabatur mundus, unde tantus, pecuniarũ scateret fluvius, unde Crœsi & Tantali opes in privatos homines congestæ fuissent, & eos potissimũ homines, qui crucis scandalum & paupertatis titulum præferrent, & præter simplicem victum & vestitum nihil rei familiaris habere se mentirentur.* l. 4. Ep. 12. Qui volet videat insigne Encomiũ Monachorũ ap. Ioh. Campanum, quod ne affectibus quid dare videar, exscribere nolo. Mihi tria genera Monachorũ visa semper: unum eorũ quibus solitudo & pietas cordi & qui firmiter persuasi sunt, se propiores Deo vita illâ solitariâ quotidiè fieri, atq; hi rarissimi. Alterum eorum qui factiosi sunt & omnium hominũ arcana rimantur, prætextu religionis nihil sibi clausum esse debere præsumentes, atque horum magnus, propemodũ dixerim, infinitus est numerus. Tertium mihi faciunt illi, qui magnifico nomine (Taciti hæc sunt verba) segne velant otiũ, meri ventres & lurcones, Comedones atq; bibones, quiq; ducatum sive imperij fasces in Crapuliâ sine rivali auferre possint, si fides adhibenda scribtori venusto, in libello cui titulum fecit: Mundus alter & idem.

Caput



# CAPVT VII.

## *Odia recondita graviora apertis, & Ἀκκισμὸς quorundam.*

NOn ineptum est consilium, quod Medeæ Nutrix suggerit apud Senecam:

*Sile obsecro: questusq; secreto abditos*
*Manda dolori: gravia quisquis vulnera*
*Patiente & æquo mutus animo pertulit,*
*Referre potuit. Ira, quæ tegitur, nocet.*

Idem enim verum adseruere gravissimi scriptores: inprimis idem Seneca: *Magis*, inquit, *nocent insidiæ quæ latent*, &c. Tacitus Aperta scribit odia armaque palam depelli, fraudem & dolum obscura, eòq; inevitabilia. Cui succinit & Sallustius, dicens: Hostem adversum homini strenuo haud difficile esse opprimere, occulta pericula neque vitare, neque facere bonis in promtu esse. Alunt autem talia odia homines truces, dissimulatores, quos Aristoteles πικροὺς appellat, Cicero homines reconditæ naturæ appellat: Poëta vetus Alterplices. Talis erat olim Tiberius Imp. ut sæpe notat Tacitus. *In Hatteriū*, inquit, *statim invectus C. Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio transmisit*: Iterum, *Accendebat hæc onerabatq; Seianus peritiâ morum Tiberij, odia in longum jacien-*

*initio Decl.*
*4. Hist. 24.*
*Ep. ad Cæs. de Rep. ordin.*
*lib. 1.*

*jacientis, quæ reconderet auctaq; promeret.* Idem
lib. 2. Tiberius, apud eundem, *Libonem ornat præturâ, quem tacitè oderat, convictibus etiam adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior, adeò iram condiderat.* Rursus factum
lib. 4. Calpurnij Pisonis, qui spretâ potentiâ Augustæ, (uxoris TiberI) trahere in jus Vrgulaniam, domoque principis exigere ausus fuerat, in præsens Tiberius civiliter habuit, sed in animo revolvente iras, etsi impetus offensionis relanguerat, memoria valebat. Nec alius erga matrem : testis idem Historicus : Iuliæ Augustæ valetudo atrox necessitatem Principi fecit festinati in vrbem reditus, sincerâ adhuc inter matrem & filiũ concordiâ, sive occultis odiis: neque enim multò ante cum haud procul theatro Marcelli, effigiem D. Augusto Iulia dicaret: TiberI nomen suo postscripserat: idque ille credebatur ut inferius Majestate Principis gravi & dissimulatâ offensione
Tac. 14. Ann. abdidisse. Claudius quoque Nero factus
Tac. 2. natura velare odium fallacibus blanditiis.
Histor. 50. Talis fuit etiam Domitianus, de quo idem
in vitâ soceri Iuli Agricolæ Tacitus : *Domitiani natura præceps in irâ,* & quo obscurior, eo irrevocabilior. Talis Mutianus, qui Antonium callidè, ideòque implacabilius oderat. Talis Ioabus in sacris, quem nec Abner nec Amosa cavere potue-

potuerunt, nec prius illi hoſtilem animum, quam latus ſibi fodi ſenſere. Talis avorum memoria Ludovicus XI. Gallorum Rex: Qui cum Coneſtablium ſuum tacito ſed vehementi odio proſequeretur, per Legatos tandem ad ſe vocari juſſit, capite ſibi ejus opus eſſe dicens in gravibus quibusdam negotijs: adventantem & nihil ſequius metuentem capite & vitâ ſpoliavit. Non decet autem hæc, ut ita loquar, clandeſtinitas viros ingenuos aut nobiles, ſed indicium eſt puſillanimitatis: Ariſtoteles Magnanimum ſuum deſcribit φανερόφιλον καὶ φανερόμισον hoc eſt aperte & ſine fuco amare amandos, & odio dignos odiſſe, idque Ennianum de ſe uſurpare poſſe:

Eo ego ingenio natus ſum, ut iram
atque amicitiam in fronte
promtam geram.

Quicumq; verò hoc, quod diximus, vitio laborant, illos plerumq; etiam ἀκκίζειν ſolere novimus &, ut loquitur Theophraſtus in Characteribus, πλοκαῖς καὶ παλιλλογίαις uti, ut Cicero appellat, verborum involucris, Plautus Oratione intortâ, Poëta vetus verſutiloquis malitijs, & uſurpare cum Tacito eluctantia verba, ſive ſuſpenſa & obſcura, idque quod maximè appetunt Oratione deprecari: Talis Auguſtus qui

Cap. περὶ εἰρωνίας.

genitos Agrippa Cajum & Lucium, necdum posita puerili prætextâ, Principes juventutis appellari, destinare consules flagrantissimè specie recusantis cupiit. Tiberius totus ex talibus argutiis & sutelis compositus, sicut & ejus gemina imago atque Character Ludovicus XI. Talis Blæsus ap. Tacitum: qui nominatus Africæ Proconsul cum M. Lepido, intentius hoc se excusante, dum valetudinem corporis, ætatem liberûm, nubilem filiam obtenderet, speciem etiam recusantis respondit, sed neque eâdem adseveratione & consensu adulantium auditus est. Quo pertinet & ἀκκισμὸς eorum, qui ad ea se cogi persuadere volunt alijs, quæ vel sceleribus comparant, ut fecit Macrinus apud Capitolinum: quod & Dio agnovit: *Qui*, inquit, *per vim & injuriam regnum occupaverunt, cupiunt id videri sibi civium voluntate esse delatum, ob eamq; caussam ad delinitionem & simulationem accedunt.* Quod de Augusto dictum prorsus in Tiberium quoque quadrat: de quo
*lib. 1.* Tacitus, Civilem eum admodum fuisse initio, idque famæ dedisse, ut vocatus electusque potius â Rep. videretur, quam per uxorium ambitum & senili adoptione irrepsisse. Pluribus hæc eloquitur Suetonius,
*in Tib. c. 24* *Principatum*, inquit, *diu recusavit impudentissi-*

*tissimo animo : nunc adhortantes amicos increpans, ut ignaros, quanta bellua esset imperium: nunc precantem Senatum & procumbentem sibi ad genua, ambiguis responsis & callidâ cunctatione suspendens, ut quidam patientiam rumperent, atq; unus in tumultu proclamaret : Aut agat, aut desistat: alter coram exprobraret: ceteros quod polliciti sint, tardè præstare, sed ipsum, quod præstet tardè polliceri. Tandē quasi coactus, & querens, miseram & onerosam sibi servitutem injungi, recepit imperium, nec aliter, quam ut tamē depositurū se quandoq; spem faceret.* Cuius mores assumsit Ottho, qui, narrante eod. Suetonio, quasi raptus de publico & susci- *l. 2. v. 16.* pere imperium vi coactus videri voluit. Plura hui⁹ rei Exempla vide apud Clapmarium in Arcanis. Ejusdem generis est, quod notatum Magno Literarum Censori Casaubono, quod nimirū Romani Principes in more habuerunt, ut sequioribus & asperioribus suis factis aliquod ex memoriâ veteri repetitum prætenderent, aut jussu prædecessorum excusarent ea ac mollirent, fuitq; hæc vetus ars Principum, ad declinandam tristioris facti invidiam: Sic Antonius & Octavius omnia ex tabulis Cæsaris fingebant se facere. Tiberius ex Augusti Præceptis. Adrianus Imp. Theatrum Trajani *Spartianus.* diruens, decreto Trajani facere se dicebat.

Hic Trajanus apud Spartianum consilium de non relinquendo successore suo, Alexandri auctoritate defendit. Caracallus quoque, cum eos quos legerat, occidisset milites, Ptolomæi Evergetis Exemplo se fecisse dixit. Hadrianus Catonis Scipionis Æmyliani Metelli Trajani abusus est in usu ciborum militarium & alijs. Sub his ingeniis miserum est ætatem agere Involvoli similibus, quæ bestiola ut in pampini folio intorta implicat se, ita illa sub integumentis dissimulationum latent, neq; umquam se explicant, ut, quod velint, liquidò intelligas: Mihi illud Theophrasti placet: τὰ δὴ τῶν ἠθῶν μὴ ἁπλᾶ, ἀλλ' ἐπίβουλα φυλάττεσθαι μᾶλλον δεῖ ἢ τοὺς ἔχεις hoc est Mores huiusmodi hominum στρεψιμάλλων (nam & sic Græci alterplices huiusmodi appellant) insidiosorum & non apertorum magis quam viperas fugiendos esse. Homerus sanè exsecratur tales: Posteriorum ingenia, qui delicta palliare malunt, quam agnoscere & vitare: pari mihi pene cum superioribus gressu ambulare videntur, adstipulante Seneca: & juxta cum Sophocle: μισῶ μὲν τοι γ' ὅταν ἐν κακοῖσι τὶς ἁλοὺς ἔπειτα τοῦτο καλλύνειν θέλει. Sidon: Apollinaris pulchrè: feculentiæ omninò par cloacali erat, excusare sua delicta, quæ quo plus com-

Spartianus in Caracallo.

Idem Spartian. in Adriano.

Plaut. Cistell.

Suidas à lanâ tortâ vel crispa.

in Antigone.

commovetur, eò magis fœtet, Vnde Ovid. cum uxorem ad Augustam mittit, pro impetrando mitiori exsilio: inter alia præcepta hoc quoque suggerit:

*Nec factum defende meum (mala caussa silenda est)*
*Nec nisi sollicitæ sint tua verba preces.*



## CAPVT IIX.

### *Exempla plus valere præceptis.*

SIc est in vitâ humanâ comparatum, ut malimus exemplis regi quam præceptis duci: unde & illud nasci solet, ut exemplo dicta factaque nostra tueamur si in repræhensionem vocentur: quâ de re præcedenti capite quædam diximus: Hinc sumsere Philosophi nostri id, quod crebrò usurpari ab ipsis videas Exempla plus valere præceptis. Seneca noster non semel: inprimis autem in Epistolis hoc inculcat: *Plus*, inquit, *tibi viva vox & convictus*, *quam Oratio proderit: in rem præsentem venias oportet: primum quia homines amplius oculis quam auribus credunt: deinde quia longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla*: Zenonem

Cleanthes non expressisset, si eum tantummodò audisset: Vitæ ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formulâ suâ viveret: Plato & Aristoteles & omnis in diversum abitura sapientium turba plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Hermachum & Polyænum magnos viros non Schola Epicuri, sed contubernium fecit. Quibus in verbis, quia Zenonis meminit, lubet addere alium Cle-
2. *Stromatū*. mentis Alexandrini locum de eodem Zenone, qui huic instituto nostro adprimè etiam facit: Ita autem ille: *Pulchrè de Indis dicebat Zeno, se unum malle Indum videre, qui torreatur, quam omnes de laboris perpessione discere probationes.* Apud Platonem item
*in Theage.* Aristides de se ita ad Socratem: *Ego*, inquit, *O Socrates, nihil umquam abs te didici, ut & ipse nosti, cum doceres, proficiebam autem, quoties tecum una eram: etiam si tantum una in domo essemus, quamquam non in eodem cubiculo: magis tamen, si quando etiam in uno cubiculo. Et tum quoq; magis, si in te dicentem intuerer, quàm si oculos aliam ullam in partem dirigerem: multò autem maximè ac plurimum proficiebam, si quando proximè te sederem tan-*
*c.* 2. *geremq; te & hærerem lateri tuo.* Idem Seneca Consolatione ad Marciam monet: *Scio*, inquit, *à præceptis incipere omnes, qui monere ali-*

*aliquem volunt, & in Exempla desinere, Mutare hunc ordinem interdum expedit: Aliter enim cum alio agendum est. Quosdam ratio ducit, quibusdam nomina clara opponenda sunt, & auctoritas, quæ liberum non relinquat animum ad speciosa stupentem.* Consentit & Plinius Junior, qui & aliam præterea huius rei rationem reddit: *Melius*, inquit, *Homines Exemplis docentur, quæ in primis hoc in se boni habent, quod approbant ea fieri posse, quæ præcipiuntur. Videmus enim quam resiliant homines á præceptis, prætexentes difficultatem parendi:* Δύσκολα γὰρ τὰ καλά. Atque hoc persuasissimum Lacedæmoniis fuit, qui id docuere in Servis suis, quos Helotas dixere. Ut enim turpitudinem temulentiæ & ebrietatis probè filiorum suorum animis instillarent: servos inebriabant, & ad eos ebrios jam, vinoque probe madidos filios introducebant, ut turpitudine illâ ob oculos ipsis positâ, â vinolentiâ fortius avocarent, plus ipsum conspectum, quam præcepta valere persuasi. Recitat hoc Plutarchus multis locis, ex eo exscribsit Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi eleganti Paraphrasi usus: Τοὺς δὲ εἵλωτας (οἰκετῶν ὄνομα εἰσὶ οἱ εἵλωτες) οἱ Λακεδαιμόνιοι μεθύειν ἀναγκάζοντες, ἐδείκνυον σφίσιν αὐτοῖς τῆς μέθης τὰ ἔργα σωφρονοῦσιν, ἐν θεραπείας καὶ διορθώσεως c. 8.

σεως μέρει. παραφυλάττοντες δ' οὖν τὴν ἐκείνων ἀσχημοσύνην, ὡς μὴ περιπέσοιεν αὐτοὶ ταῖς ὁμοίαις καταγνώσεσι, ἐπαιδεύοντο. τὸ ἐπονείδιστον τῶν μεθυόντων εἰς τὸ ἑαυτῶν ἀναμάρτητον ὠφελούμενοι. *Helotas* (est autem hoc servorum Spartanorum nomen) *Lacedæmonij cogentes inebriari, sibi ipsis sobriis, ea quæ designabat Ebrietas, correctionis & emendationis loco ostendebant: Observantes ergo illorum turpitudinem, ne in idem, quod damnabant, vitium inciderent, ex ebriorum probro hos fructus consequebantur.*

Chiliad 3, Hist. 89. Notavit idem institutum & Tzezes:

Οἱ Λάκωνες μέθυσκον τοὺς ἑαυτῶν οἰκέτας
Καὶ τέκνοις παρεισφέροντες ἐκείνους τοῖς ἰδίοις
Καταγελάστως ἔχοντας ἀκράτῳ καὶ τῇ μέθῃ
Παντὸς ἐκείνους ἀπρεποῦς ἐξέτρεπεν καὶ φαύλου.

hoc est, *Lacones inebriant suos servos*
*Et filiis ostendentes illos propriis*
*Ridiculè se habentes meraco & ebrietate,*
*Ab omni illos re indecora avertebant & malâ.*

Iidem Lacedæmonij lautitias omnes ingenuis & benè natis adulescentibus interdicebant, servis permittebant: Fecit id Agesilaus Rex. Thasiis enim offerentibus lautitias, repudiavit eas, servis autem distribui jussit: addens eos, quibus virtus curæ sit & studio, tales gulæ delicias non admittere,

servos

servos illis allici, qui voluptati serviant & ventri: Filij igitur Spartanorum & temulantiam vitabant & delicias aspernabantur, quia servis utraque permissa esset, liberis hominibus indecora. Subjungam illustrem locum P. Æmylij super hac re, eoq; caput hoc concludam. Commendat honestissimam æmulationem Clementis Pontificis & D. Ludovici Gallorum Regis, qui cum leges ferre non posse viderentur, qua successores tenerentur, ipsi sibi legem præscribserunt & Exemplum alijs statuerunt & postea ita ait: *Misceamus maria cælo: non ante sanctis vivetur moribus, non piè formabitur pectus cœterorum, nisi sanctitate imbutis Magistris tuorum, iisq;, qui vitæ mortalium præsunt. Non parebunt ex animo alij legibus, lege solventibus alios iis, qui leges moderantur, seq; legum immunes esse postulant. In animis tenuiorum regendis, exemplo magnorum Antistitumq; potius, quæ imperio est opus, nec aliis, quam quibus nota est Christiana pietas, moribus recoli potest.*



# CAPUT IX.

## Τυμβωρύχοις & *Sepulchrorum spoliatoribus numquam avaritiam istam benè cessisse.*

SUperiore Observationum nostrarum parte docuimus, nihil immanius esse, quam in mortuos etiam hyænæ instar sævire, idque exemplis confirmavimus & monitis virorum magnorum. Ad eam im̃anitatem cum pertineat Violatio & spoliatio sepulchrorum, de eâ quoque monere nunc visum: Etsi enim hæc materia â Viris summis jam ante tractata est, tamen, & quæ mihi notata, quid vetat aliorum monitis adjungere, & pluribus veluti anchoris σαλεύειν, ut in veteri est verbo? Fuisse autem hoc jam ab antiquo frequentatum vel Aristotelis testimonio constat, qui in libello de virtutibus exsecratur & impietatem vocat, quasi pari passu ambulent impietas in Deũ & sævitia in mortuos ac sepultos. Et de Pyrrho Historiæ referũt, quod tegulæ jactu per mulierem interierit, caussam vix aliam credi debere quam quod sepulchrorũ fuerit

*Camerario & Richtero.*

rit

rit violator: De Lysimacho Plutarchus ardentissimâ eum febri interijsse scribit (Pausanias in Atticis in prælio occubuisse) quod Regum sepulchra impiè disjecisset, ita referente Hieronymo Cardiano, cui tamen Pausanias fidem derogare vult, tamquam Hieronymus caussas adversus Lysimachum simultatis & maledicentiæ habuerit. L. Syllam eiusdem criminis reum pediculi absumsere, docentibus Sereno, Plinio, Plutarcho. Sepulchrorum violationem Agrigenti jussu Hannibalis & Himilconis divinum vindicavit numen peste immissâ, quæ & Hañibalem sustulit, ut auctor est Herodotus: Himilco sacrificiis numinis iram placavit & ab impietate exercitum abstinere jussit. De Herode Zonaras in hæc verba scribit: *Eius avaritiæ ex profusionibus ortæ illud argumentum est, quod cum audisset, Hircanum prædecessorem suum aperto Davidis monumento tria millia talentûm argenti abstulisse, noctu, fidissimis adhibitis amicorum, ne res efferretur, idem monumentum aperit, ingreditur, ac argentum quidem, ut Hircanus, non repetit, sed multum aure: ornatus: quo omni sublato, ad interiores cellas, quibus Davidis & Salomonis Regum cadavera conditæ erant, properat: Quo dum penetrare contendit, duo eius satellites perierunt, flamma, ut fertur,*

de re Medicâ. l. 7. fol. 26.
in Syllâ.
lib. 3.
T. 1. Annal.

*tur, erumpente: ipse perterritus discessit, atq; ob id facinus res ejus domesticæ laborare videbantur:* quo accessit tandem Tragicus exitus, quem sic describit idem Historicus: *Exasperabatur morbus, ut pœnas scelerum daret: Ignis enim lentus ejus viscera torrebat: intestina exulcerata erant, inprimis coli doloribus cruciabatur, & pituita mollis ac pellucida pedes vexabat. Accedebat imi ventris dolor, & pudendorum putredo vermibus scatens: nec non Ortophnæa & fœtor teter & crebrum anhelitum, convulsiones omnium membrorum comitabantur. Etsi autem in tantis malis versabatur, tamen vitæ spem alebat, nec ab ullo medicamenti genere abhorrebat: Itaq; Iordane trajecto, calidis Aquis Callirhoës usus est, quæ propter cæteras virtutes etiam potui sunt: Ibi à medicis in alveum oleo plenum injectus, animam agere visus est: Sed recepto spiritu Hierichuntem perlatus ad cætera mala atra bilis accessit. Moriturus nefarium consilium capit: Nam cum totius gentis primores edicto convocasset, omnes in Hippodromo concludit, & sorori Salomæ ac ejus marito Alexæ mandavit, ubi animam exhalarit, ut eos omnes tollerent, ne, inquit, populi meam mortem sibi gratulentur, neve applaudant, sed singulis suos deplorantibus, ipse quoq; deplorari videar, & obitus meus multis lachrymis honoretur. Quæ cum flens & Deum obtestans diceret, illi se mandatum*

*datum non neglecturos polliciti sunt. Doloribus tamdem in immensum auctis, cibo abstinuit, ac cultello petito se ipsum occidere cogitavit, fecissetq; nisi quidam animadverso consilio dextram ejus inhibuisset. Tandem, sed Antipatro prius necato in carcere, quem testamento hæredem instituerat, animam evomuit.* Alexius quoq; Angelus Imperator, cum Alemannicum tributum, quod intercessione Eumathij Philocalis Præfecti Urbis ab auri centenarijs quinquaginta ad sedecem auri talenta redactum erat, pendendum esset, pecuniæ inopiam caussatus, â provincijs tributum exigebat, quod Alemannicum appellabat tum primum indictum: & Urbano populo senatu & cœtu Ecclesiastico, opificibus item & artificibus omnis generis convocatis petebat, ut quisque de facultatibus suis partem aliquam stipis nomine conferret. Sed cum se nihil proficere ac frustrâ talibus rebus niti & inania fundere verba cerneret: plerisque etiam vociferantibus & tumultuantibus ob inusitata ista & iniqua tributa: nonnullis verò notam ei inurentibus, quod Rempub. per luxum perderet, aliam ingressus est viam: aurea enim & argentea donaria, quæ extra sacrariam essent, neq; corpori & sanguini Christi suscipiendo servirent, postulavit. Ab ea quoque petitione

tione multis abhorrentibus, quasi sacra profanaturus esset: Surda & muta Imperatorum monumenta, quæ nullum advocatum haberent, invadenda esse censuit. Itaque sepulchra effodiuntur, nec ullis Romanorum Imperatoribus, quantumvis ob res gestas claris, quidquam præter *saxeas tunicas, frigidum & extremum illud propugnaculum, relinquitur, omni pretioso ornatu spoliatis. Ac ne Magni quidem Constantini loculus intactus & inviolatus mansisset, nisi fures Imperatoris decretum antevertissent, & aurea illius ornamenta abstulissent. Vnde cum ad septuaginta centenarios argenti, & auri nonnihil corrasisset, conflari ea tamquam profanam materiam jussit. Ejus muneris ministri duo paullò pòst objerunt, alter ardenti febre, alter aquâ intercute sublatus. Ipse quoq; Alexius morbo articulari & pedum dolore per intervalla excruciatus & acribus febribus ustulatus, sibi ipsi etiam ferramentis candentibus in tibias profundè impressis, acerrimo & ineffabili cum dolore tandem ab Alexio Duca Murzuflo, hoc est supercilioso per insidias captus & bis veneno, sed frustrà, tentatus, quod ea adulescens, cum ætatis robore, tum antidotis, quibus clam utebatur vicisset, ad extremum laqueo gulâ elisâ,

elisâ, impietatis exsecrandæ pœnas luit, ut prolixè narrat Nicetas Choniates. Coirus in Historia Mediolanensi refert de Rodoaldo filio & successore Rotharij Regis Longobardorum: Spoliaverat is patrem sepultum in Basilicâ D. Iohannis Babtistæ aperto sepulchro, sed non impunè: neque enim postea unquam ingredi id templum potuit, conantem pugnis prohibente ipso D. Iohanne Baptista, & sepulcri sibi crediti spoliationem vindicante. De Pyrrho quod initio monui, id ex Plutarcho habeo: qui ita de illo: *Antigono devicto, Ægæos, ubi habuit eos in potestate, cum aliâs tractavit acerbè, tum urbi præsidium Gallicum, ex iis, qui secuti ipsum fuerant, imposuit. Galli autem gens avarissima regum ibi humatorum aggressi sunt monumenta aperire, thesauros diripuerunt, reliquias cum ludibrio disjecerunt. Hoc Pyrrhus visus est ferre lentè & solutè, itaq; ipsi imputatum â Macedonibus. Vnde & pœna secuta est quam dixi.* Falluntur Viri Magni qui de hoc Pyrrho accipiunt locum Higyni c. 121. unde jure talionis Pyrrhum punitum esse convincere nituntur: Ita enim Higynus: *Neoptolemi, qui & Pyrrhus, ossa per fines Ambraciæ sparsa sunt, quæ est in Epiri Regionibus*, quo allusit Ovidius illo disticho:

*in Annal l. 1.*

*Alciat. Parerg. l. 10. c. 4. & Tib. Decian in Tract. Crim. lib. 6. c. 40. sect. 28.*

*In Ibin.*

*Nec*


*Nec tua quam Pyrrhi felicius ossa quiescant,*
*Sparsa per Ambracias quæ jacuere vias.*

Nam illa ad Achillis filium pertinent: Hic Noster Aeacidis fili⁹ fuit & Phtilę Menonis Thessali filiæ: Ad extremum hoc subjungam, sepulchris purè & illibatè conservandis ac â vi & injuriâ prohibendis proprium fuisse constitutum Magistratum sub posterioribus Impp. quem Comitem Privatarum dicebant: ut clarè ostendit formula eius apud Cassiodorum in Variis: quæ concepta est in hæc verba: *Defunctorum quinetiam quietem sacram æquabilia jura tuæ conscientiæ commiserant, ne quis vestita marmoribus sepulchra nudaret, ne quis columnarum decorem irreligiosâ temeritate præsumeret, ne quis cineres alienos aut longinquitate temporis aut voraci flamma consumtos sceleratâ perscrutatione detegeret; ne corpus, quod semel reliquerat molestias mundanas, humanas iterum pateretur insidias: nam etsi cadavera furta non sentiunt: tamen ab omni pietate alienus esse dignoscitur, qui aliquid mortuis abrogasse monstratur. Vides ergo tibi mandatam esse securitatem mortuorum.*

*l. 6. form. 8.*

Hactenus Cassiodorus.

Caput



# CAPVT X.

## *Proditionem quidem gratam esse Principibus, Proditores autem invisos.*

CUm nuper in morbo cubarem Norimbergæ per dies aliquam multos, qui in itinere incautum oppresserat, solitudinis levandæ caussâ ab Amplissimo D. Georgio Remo JCto & Reipub. illius præpotentis, nutriciæ meæ benignissimæ Consiliario prudentissimo, D. & Amico meo magno Historicum petij, in quo versarer, donec ad operas Academicas redire liceret. Fecit id vir optimus pro suo erga me & insigni amore & summo studio, misitq; Hieronymum Connestagium Genuensem de Conjunctione Portugalliæ & Castellæ, quem avidè accepi & perlegique excerpsiq; multa notabilia & alibi attingenda: Inter illa & hoc fuit quod reperi libro 5. *Oderat*, p. 238.
inquit, *Prior* (Antonius is fuit Nothus Prior Pratensis, qui post cæsum in Africa Sebastianum & mortuum Henricum Cardinalem se pro Lusitaniæ Rege gessit invito Philippo II. Hispano) *Ferdinandum Pinam*

*ICtum Cameræ Lusitanicæ Syndicum, qui est summus illius Magistratus gradus, quod de se minus honorificè, de Philippo Hispano omnia optima sentiret, & totum consilium Cameræ in partes Regis Philippi pertrahere studuisset. Itaque submisit illi sicarium Antonium Soarezium, qui Lisybonæ, ipso meridie, in medio foro, grave vulnus Pinæ inflixit in capite, ex quo paullò pòst mortuus est. Sicarius autem, qui melius ferire, quam fugere noverat, captus, aliquot diebus pòst laqueo primum strangulatus est, deinde in quatuor partes dissectus, connivente Antonio more Principum, qui odisse solent eos, quorum operâ ad scelus aliquod abusi sunt, quod his viventibus, vivit etiam facinorum ipsorum jussu designatorum memoria.* Quæ extrema verba valdè notabilia mihi visa: & huc refero, de proditoribus passim lecta: inprimis illud: Proditio grata, Proditores invisi: quæ mens olim fuit Cæsaris Augusti in Rhymitaclem Thracum Regem, Antigoni item & Aureliani Augusti ut ex Epistula eius videre est ad Mallium Chilonem. Atq; hoc illustribus Exemplis ante me docuit Nobiliss. & Ampliss. Vir. D. Philippus Camerarius, JC. & Consiliarius Reip. dictæ initio capitis primarius, quibus hæc mihi visum adjicere apud

*Alij Rhymitalcem.*

*Vopiscus in eius vitâ.*

*Horar. Succisiu. Cent. I.*

apud alios notata. Ac primum quidem eleganter in hanc rem lusisse mihi Augustus videtur, cum inquit, prodituros amari solere, non proditores. & Claudianus venustè : *Damnamus luce repertâ Perfidiam* : Sed Exempla altius animum penetrant. Brutus Libertatis ipsius nomen, qui Reges Româ expulit, cum ex Servo suo Vindicio rescivisset, filios suos Tarquinio â patre expulso velle portas reserare : pater Patriæ, quàm liberorum amantior, securi eos feriit : Servum autem ut Patriæ conservatorem initio manu misit, postea ut Dominorum suorum delatorem cruci affixit, ut notavit ad Juvenalem Scholiastes antiquus. Simile huic Exemplum referunt Historiæ Eccesiasticæ Scribtores Socrates, Sozomenus & Nicephorus Callistus : Tempore Valentiniani & Valentis Impp. Procopius quidam, genus suum ad Julianum referens, & sub Ioviniano Tyrannidem affectans Chalcedonem occupaverat, & clam Constantinopolim ingressus Imperiũ arripuerat. Inde non contemnendo coacto exercitu, adversus Imperatorem infestis signis est profectus. Cui Valens ex Syriâ obviam progressus, circa Natoliam certamine cum eo est congressus

c. 7. & Cent. 26. 60. & 6.

lib. 2. in Eutrop.

l. 4. c. 5.
l. 6. c. 8.
l. 11. c. 4.

& victus. Inde Nicæam pervenit : Sed mox Procopius â proditoribus Gomario & Agelone, quos fidos sibi esse putaverat, captus & Vinctus Valenti est traditus : Qui utrũq; proditorem novo supplicij genere, crudelem in modum serris disiectos interemit spreto jurejurando, quo se illis benevolum semper fore receperat. Procopius autem ad arborum duarum non longè inter se distantium vertices adductos pedibus alligatus, eisdem mox ad naturalem statum suum redire permissis discerptus est. Hæc unanimi consensu illi quos dixi. Unde mirari subit dissensum Ammiani Marcellini: qui & alios proditores ProcopI facit & de supplicio ProcopI aliter sentit. Verba ejus lubet adscribere : *Tandem Procopius, undiq; facultate evadendi ademtâ, consiliorum inops, ut in arduis necessitatibus solet, cum fortunâ expostulabat luctuosâ & gravi: mersusq; multiformibus curis subitò â comitibus suis arctius vinctus, relato jam die ad castra ductus, Imperatori offertur reticens atq; defixus, statimq; abscissa cervice discordiarum civilium gliscentes turbines sepelivit & bella: Pari etiam indignationis impetu Florentius & Barchalba, qui eum duxerunt, Confestim non pensatâ ratione sunt interfecti. Nam si Principem legitimum prodidissent, vel ipsa Iustitia jure cæsos pronunciaret, si re-*

*L. 26. p. 352. In Exemplari LindebruchI.*

*si rebellem & oppugnatorem internæ quietis, ut ferebatur, amplas ei memorabilis facti oportuerat deferri mercedes* : Hæc Ammianus, qui in eo tamen, quod agimus cum sacræ Historiæ scriptoribus consentit. Zanobio etiam Pino proditio perfidiosa non ex voto cessit. In bello enim, quod cum Philippo Viscontio Iohannis Galeazi secundo filio gessere Florentini Agnolo Pergolensi Flaminiam vastante, hic Zanobius Pinus Galeatæ cum imperio præfectus castrum hosti citra ullam defensionem tradiderat, Agnoloque præterea suasor fuerat, ut neglectis Flaminiæ alpibus, ad colles in Tusciam descenderet, ibique minore cum discrimine, maiori vero cum lucro rem ageret. Sed non potuit Agnolus abjectum malignumque hominis animum ferre, ideoque suorum servorum arbitrio eum tradidit: qui postquam ludibrio satis hominem habuissent, chartis etiam, quibus testudines impressæ erant, ipsi cibi loco admotis, ut ederet hortati sunt, futurum adserentes, ut mox ex Guelfo in Ghibellinum transmutaretur, sic miser paucos intra dies fame contabuit. In Annalibus præterea Saxonicis legitur turpe ac detestandum parricidium Frothonis Danorum Regis ; Corruperat is domesticum quen-

*Machiavell. l. 4. Hist. Florēt. p. 194.*

*lib. 7.*

dam, uti fratrem ſuum occideret: id ſui Regis deſiderium occultè cruciarius ille explet, adeoque manus Optimo Principi violentas affert: Poſt præmium â Frothone cædis exigit, idque accipit, ſed mox, ubi accepit, juſſu Regis viciſſim occultè trucidatur, ne ſcelus Regis & mandatum necandi fratris vulgaretur. Quod Exemplum prorſus ſimile eſt illi quod initio capitis huius propoſitum â nobis eſt & ad monitum Conneſtagl pertinet. Mitius cum huius farinæ homine, hoc eſt proditore egit Princeps ille Italus, de quo Tiberianus Decianus ICtus ſummi nominis ſcribit alicubi: *Refert*, inquit, *Hip. ſing. 16. quendam Principem Italicum, dum proditori, cujus operâ uſus fuerat, præmium proditionis numeraret, voluiſſe, ut proditor præmium illud inverſis poſt terga manibus reciperet, ut ſic omnibus infamia illius innoteſceret, & cognoſcerent, quotquot adſtarent, illud eſſe proditionis præmium.* Hi porrò omnes, qui Proditores ad hunc modum exceperunt, illud Onoſandri parum attenderunt cum ſcribit & Imperatorem ſuum his verbis monet: Τοῖς δὲ προδόταις τάς τε πίστεις καὶ τὰς ἐπαγγελίας φυλαττέτω, μὴ διὰ τοὺς γεγονότας, ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐσομένους, ἵνα εἰδότες, ὡς

*In Tractatu Criminal. lib. 7. c. 30.*

*In Strategico c. 38.*

ὀφει-

ὀφείλεται σφίσι χάρις ἑλομένοις τὰ τῶν πολεμίων, ἐπὶ τὰς αὐτὰς εὐεργεσίας τρέπωνται. Λαμβάνει γάρ τι μᾶλλον, ὁ προδότῃ διδοὺς ἢ χαρίζεται. Διὸ χρὴ προθύμως ἐκτείνειν τὰς ἀμοιβάς. οὐ γὰρ δικαστής τις ἀδικηθείσης πόλεώς ἐστιν, ἀλλὰ στρατηγὸς τοῦ ἑαυτοῦ πατρίδος. Quem locum tanto lubentius & Græcè exſcribſi & latinè interpretabor, quia recedere viſum â Nicolai RigaltI Viri præclari ſententiâ aliter locum interpretantis. Proponam autem initio meam quæ eſt hæc: Omnino memento, Imperator, quiſquis es, Proditoribus fidem & promiſſa ſervare, nec reſpice tam ingenium horum, quam conſidera in poſterum quoque talium hominum operam tibi utibilem eſſe poſſe: non reperies autem tales facile, niſi aliorum exemplo quibus proditionem præclarè ceſſiſſe & bonam redditam gratiam intellexerint, provocentur, ad eadem tuo uſu & commodo ſuſcipienda: Vnde certum tibi eſſe debet & fixum, cum proditori, quod pepigiſti aut condixiſti, dederis, non tam conferre te beneficium, quam accipere, & proinde promtum eſſe ad retributionem: Et quis verò te judicem conſtituit, ut in hoſtilis civitatis proditorem inquiras

 ſcru-

scrupulosè aut animadvertas, qui tuæ patriæ constitutus es Imperator, eiusq; commoda omni modo promovere debes. Rigaltius verò ita: *Proditoribus fides & promissa ab Imperatore servanda sunt, nec considerandum, quales illi antea extiterunt, sed quales deinceps futuri sunt, ut postquam sibi hostium partes amplectentibus gratiam haberi perspexerint, animos ad ea beneficia convertant suos. Quisquis enim proditori dat, munus accipit potius, quam confert. Ideoq; promta esse debet Imperatoris hac in re liberalitas, quippe de hostium prodita civitate judex aut arbiter non est, sed patriæ suæ Imperator.* Iudicet eruditus Lector: ego sanè pro me stare arbitror locum Leo-

Constit. XV. § 36. nis Imperatoris, quem Rigaltius in Notis adducit: ita enim ille: ὁ γὰρ διδούς τι τῷ προδότῃ μᾶλλον αὐτὸς λαμβάνει παρ᾽ αὐτοῦ πλέον, παρ᾽ ὃ ἐκείνῳ χαρίζεται, οὐ γὰρ κριτὴς τῆς παρὰ τοῦ προδότου ἀδικηθείσης πόλεως, ἢ τοῦ ἐχθροῦ ὕπαρχος, ἀλλὰ στρατηγός. καὶ διὰ πολλῶν τρόπων, ὑπὲρ τοῦ σοῦ λαοῦ, λυπεῖν καὶ διαφθείρειν τοὺς πολεμίους σπουδάζων. Τὸ γὰρ δοκεῖν ἐνταῦθα τοὺς κακοὺς μὴ εὐεργετεῖν, ἀπειρόκαλόν μοι φαίνεται, πάντα γὰρ καλὰ ἐν καιρῷ αὐτῶν. Cœterum ut ab iis, quos dixi, Onosandri monitum neglectum est: ita id sensisse eos & pensi habuisse arbitror, quod

Gotthicorũ I. ad Neapolitanos cives Pastor olim & Asclepio-

piodotus apud Procopium in Oratione suâ disserunt : ὁ τοῦ προδότου τετυχηκὼς, τῇ μὲν χάριτι ἐς τὸ παραυτίκα νικήσας ἤδη, ὑποψίᾳ δὲ ὕστερον τῇ ἐκ τῶν πεπραγμένων μισεῖ, καὶ φοβεῖται τὸν εὐεργέτην, αὐτὸς ἐφ' ἑαυτῷ τὰ τῆς ἀπιστίας γνωρίσματα ἔχων : Quam sententiam ab Augusto & alijs, de quibus initio capitis, mutuati videntur.



# DECADIS X[a].

## Observationum Historico-Politicarum.

## CAPUT I.

### *Ducum bellicorum gemina Virtus ex Historiis notata.*

PAucis sed gravibus admodum verbis & verè prægnantibus socerum suum Iulium Agricolam Tacitus laudat : dum scribit : minimè eum licenter more Juvenum militiam in lasciviam vertisse, neque segniter ad voluptates & commeatus titulum tribunatus & inscitiam retulisse : sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere â peritis, sequi optimos, nihil appetere ob

objactationem, nihilque ob formidinem recusare, simul anxium & intentum agere solitum. Quæ verba quamquam singula consideratione dignissima sint, tamen hæc duo solum hoc capite expendemus: quod dicit nihil eum primum ob jactationem sive jactantiam appetijsse, deinde nihil ob formidinem recusasse. Ac prius quidem quod attinet, cavendum unicè Duci est. Nam, ut eleganter Agathias, Arrogantia non solum suos possessores, sed & illos, quos ei servire & morem gerere contingit, perdit: Invidia enim insistit vestigijs Ducũ præclarorum, & in omnes occasiones vigilat, quomodo de gradu dignitatis eos præcipitet. Vnde non sine caussâ Plinius: *Duces nostri non tam Regum externorum, quam suorum Principum insidias, nec tam hostium quam commilitonũ manus ferrumq; metuebant.* Neq; enim ferre possunt Principes, qui, ut loquitur Tacitus de Tiberio, Silij jactantiâ offenso, destrui fortunam suam sic existimant, si Duces plus sibi gloriæ vindicent. Qua de re queritur etiam apud Dionem Agrippa. *Iste*, inquit, *est mos Principum, ut nolint quemquam esse se potiorem. Facilia confectu ipsi gerunt, difficilia aliis committunt, quos tamen postea gloria rei præclarè gestæ frui ægre ferunt: Vinci quidem eos nolunt, rerum autem gestarum gloriam*

Lib. 3.

*In Panegyr. ad Trajan.*

*4. Annal.*

*aud eos esse non facile patiuntur.* Quod animadvertens Germanicus devictis Germanis ubi congeriem armorum cum titulo strueret: Tiberii solùm mentionem fecit, de se nihil addidit, invidiæ metu, prudentius quam Antoninus Primus, quem meritò repræhendit Tacitus, quod nimius fuerit commemorandis quæ meruisset. Porrò hoc Argumentum eruditè copioseque tractatum vide apud unicum priscæ virtutis & Doctrinæ vindicem Janum Gruterum, amicum nostrum magnum: ego ad alia contendo: Ab hac impotentia linguæ & jactantia alieni fuere præstantissimi quiq; Heroes: De Iugurtha Sallustius, cum laudasset ut perfectissimũ Ducem & strenuissimum militem, subjungit tamquam miraculum, quod cum plurimum ipse faciat, minimum tamen de se loquatur. Quod & de Pisone Velleius: *Quæ agenda sunt*, inquit, *curabat sine ullâ ostentatione agendi.* Et pulcherrimum est Encomiũ quod Attalo Eumenis fratri apud Livium tribuit consul Romanus: Victis enim cæsisq; ad Olympum montem Gallis. Laudatus pro concione exercitus, donatiq; pro merito quisq;: *ante omnes* (inquit Historic⁹) *Attalus summo cœterorum assensu: nam singularis eius juvenis cum virtus & industria*

*Tacit. 2. Annal.*

*1. Hist.*

*in Discurs. ad Tacitum p. 2. p. 101. & seqq.*

*lib. 38.*

*in*

*in omnibus laboribus periculisq;, tum modestia etiam fuerat*, quibus verbis utramque Virtutem, de quâ agimus complectitur. De Socero suo idem Tacitus: *Nec Agricola unquam in suam famam gestis exultavit, ad auctorem & Ducem, ut minister fortunam referebat: ita virtute in obsequendo, verecundiâ in prædicando extra invidiam nec extra gloriam erat.* Hanc jactantiam, homini adhærentem penè naturâ, excutere non potuit famosissimus ille Caroli V. & Philippi II. Imperator Ferdinandus Toletanus Dux Albanus, id quod declaravit statua quam ex ære conflatam in Castello Antverpiensi erigi jussit cum hac inscribtione:

FERDINANDO ALVAREZ A TOLEDO ALBÆ DVCI PHILIPPI II. HISPANIARVM REGIS APVD BELGAS PRÆFECTO: QVOD EXSTINCTA SEDITIONE, REBELLIBVS PVLSIS, RELIGIONE PROCVRATA, IVSTITIA CVLTA, PROVINCIA PACEM FIRMARIT: REGIS OPTIMI MINISTRO FIDELISSIMO POSITVM.

*l. 9. de Conjunct. Portugall. & Castellæ.*

Nam hoc nimis altè penetravit animum Philippi, idque plurimum postea Ferdinando nocuit, ut testatur Hieronymus Connestagius, & addit insigne Epiphonema: *Ideò*, inquit, *neq; Carolus V. neq; Philippus II. valdè amabant Albanum, quid nimis*

*mis præclarè sibi de ipsis meritus videbatur: Principes enim non amare solent eos, aut certè minus, qui bene de ipsis meriti sunt, quam eos, quos ipsi beneficiis sibi devinxerunt. Itaq; statua illorum jussu paullò post dejecta fuit.* per Commēdat. de Castiliâ. Formido verò & metus longissimè abesse debent â Duce, quem, si quid aliud, commendat τὸ ἔυελπι & fati sui fiducia, sed cum consilio conjuncta. Atque hoc jugum Jugurthæ suo tribuit Sallustius, caussamque reddit, cur hæc duo connexa esse debeant, Audax consilium videlicet. *Ac sanè*, inquit, *quod difficilimum inprimis est, & prælio strenuus erat & bonus consilio, quorum alterum ex providentiâ timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumq; solet.* Vtrumque & Livius Annibali tribuit: *Erat*, inquit, *ei plurimùm audaciæ ad pericula capessenda, plurimùm etiam consilii inter ipsa pericula.* Talis fuit Julianus de quo Zosimus: Vnicum illi studiū *μὴ περὶ μικρὰ διατρίβειν τὸν χρόνον, ἀλλ᾽ εἰς τὸ κεφάλαιον ἑαυτὸν ἐμβαλεῖν τοῦ πολέμου.* l. 3. Talis Germanicus, de quo Tacitus: *Quod arduum sibi, cœtera Legatis permisit.* 2. Annal. l. 15. Et apud Marcellinum Constantius Julianum monet: *Si hostibus congredi sit necesse, fixo gradu consiste inter signiferos ipsos, audendi in tempore consideratus hortator, pugnantes accendens præeundo cautissimè, turbatosq; subsidiis fulciens,*

*mode-*

*modestè increpans desides, verissimus testis adfuturus industriis & ignavis.* De Carolo Borbonio Vbertus Folieta scribit: *Nemo eâ ætate fuit, in quo essent majora aut plura naturæ & industriæ bona: Ingenium vividum, callidum, sollers, magnum consilium, celsus ac sublimis animus, nihil humile aut sordidum, nihil non magnificum & amplum umquam agitans:* Talis Frundsbergius, Leo Strozzius & alij innumeri.



## CAPVT II.

### *Magnanimi Ducis esse dolo malo in hostem nequaquam uti.*

VErba Taciti sunt extremo II. Annalium libro: Reperio apud scribtores eorum temporum Adgandestrii Principis Chattorum lectas in Senatu literas, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur responsumque esse, non fraude neque occultis, sed palam & armatum Populum Romanum hostem suos ulcisci. Qua gloriâ æquabat se Tiberius priscis Imperatoribus qui venenum in Pyrrhum

Pyrrhum regem vetuerant prodiderantq;. Pyrrhi historiam plerique omnes describunt Romanæ rei scribtores, brevissimè Eutropius: *Cum*, inquit, *vicina castra Fabricius Romanus & Pyrrhus Rex haberent: Medicus Pyrrhi ad C. Fabricium nocte venit, promittens veneno Pyrrho occisurum, si sibi aliquid polliceretur: quem Fabricius vinctum reduci jussit ad Dominum, Pyrrhoq; dici, quæ contra caput eius Medicus spopondisset: Tunc Rex admiratus dixisse fertur: Hic est ille Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam Sol à cursu suo averti potest. Tentaverat enim & ante, cum pauperem cognovisset, quartâ parte regni promissâ, ut ad se transiret, sed frustra. Igitur in Romanos Duces verius quadrat illud EnnI de Pyrrho:* lib. 2.

*Nec mî aurum posco, nec mî pretium dederi-*
*Nec cauponantes bellum sed belligerantes (tis*
*Ferro non auro vitam cernamus utriq;.*

Docuit idem Camillus in Faliscis, quos cum obsideret, ludimagister consueto ante obsidionem more, cum pueris, potentiorum in Urbe civium liberis ante urbem obambulans, sermonibusq; varijs injectis subdolè fallens, eos tandem in castra Romana perduxit, prodens ita civitatẽ, quantum in ipso erat. Cumque eos oratione ad rem accommodatâ Camillo obtulisset, *Livius l. 5. Dec. 1.*

non magnificè, uti ſperabat acceptus, ſed denudatus ac manibus poſt tergum revinctis reducendus Valerios datus eſt pueris, cum virgis, quibus proditorem ante ſe agerent in Vrbem. Ad quod ſpectaculum commota civitas, Romanis ultrò ſe dedidit. Facta hæc Anno ab V. C. CCCLXI. Viriati quoque interfectores Q. Servilij Cæpionis verbis inducti, cum præmium â Scipione Conſule petijſſent: reſponſum hoc tulere: Numquam placuiſſe Romanis, Imperatores â ſuis militibus interfici. Et ſanè Cæpionis illud factum valdè improbatum fuiſſe Romanis conſtat, quamvis Viriatum proditorem hoſtemque Reip.
*l. 2. initio.* eſſe itidem liqueret. Velleius Paterculus ita de illo facto ſcribit: *Interemto Viriato fraude magis quam virtute Servilij Cæpionis, Numantinum bellum, idq; gravius exarſit.*
*lib. 2. c. 17.* Lucius Florus in Epitome: *Luſitanos Viriathus erexit, vir calliditatis acerrimæ, qui ex venatore latro, latrone ſubitò Dux atq; imperator, & ſi fortuna ceſſiſſet, Hiſpaniæ Romulus, non contentus libertatem ſuam defendere, per quatuordecim annos omnia citrâ ultràq; Iberum & Tagum igni ferroq; populatus, caſtra etiam Prætorum & præſidium aggreſſus, Claudium Unimanum penè ad internecionem exercitus cæcidiſſet, inſignia trabeis & faſcibus noſtris quæ cepe-*
rat,

*rat, in montibus suis trophæa fixisset: tandem eum Fabius Maximus consul oppresserat: sed à successore Servilio Cæpione violata victoria est, quippe qui conficiendæ rei cupidus, fractũ ducem & extrema deditionis agitantẽ, per fraudem & insidias & domesticos percussores aggressus, hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse.* Historiam Viriathi copiosè & per partes describit Appianus. Sed nec Flaminii fa- *T. Quinti Flamini.*
ctum probarunt Romani, qui, cum Legatus missus esset ad Regem Prusiam, ad quem Hannibal hostis Romanorum confugerat, clam Hannibalis mortem & artibus quibusdam procuravit. De quo facto graviter admodum Livius Hannibalem disserentem inducit: *Mores quidem*, inquit, *Populus Romanus quantum mutaverit, vel hic dies argumento erit: horum Patres Pyrrho Regi hosti armato exercitum in Italiâ habenti, ut à veneno caveret prædixerunt: hi Legatum Consularem, qui auctor esset Prusiæ per scelus occidendi hospitis, miserunt.* Aliter Plutar- *Dissertat.*
chus, ut notavit Scipio Admiratus, nam ut *Polit. l. 2.*
à Pop. Romano hanc maculam averteret, *cap. ult.*
culpæ hujus reum solum facit Flaminium, addens Senatui improbatum eum fuisse, quod gloriam sperasset ex morte Hannibalis, quem virum Romani ob Clementiam tamquam inutilem jam senio jamque de-

*Plutarch. in Flaminio.* plumatam avem dimiſerint. Videatur idem Scipio Admiratus ibid. quomodo Scævolæ factum, quod item objici poterat, defendat aut excuſet, ſicut & ê ſacris Iudithæ, quæ dolo Holopherni vim attulit. Placuit hoc quoque Alexandro Magno verè magnanimo & Dis per omnia quam homini ſimiliori: improbavit enim ſemper huiuſmodi κλοπὰς πολέμων, ut loqui ſolebat, eamque victoriam pulcherrimam glorioſiſſimamque arbitrabatur, quæ ex hoſte armato reportaretur. *l. 1. bell. Gall. c. 13.* HelvetI etiam apud Cæſarem ſe ita â Patribus majoribusque ſuis didiciſſe profitentur, ut magis Virtute quam dolo contenderent, aut inſidijs niterentur. Ipſe etiam Cæſar in colloquio cum Arioviſto, cum ab *lib. 1. bell. Gall. c. 46.* huius Equitibus Legio decima, quam Cæſar ſecum præſidij cauſſâ eduxerat, infeſtaretur telis, recipiens ſe ad ſuos, imperavit illis, ne quod omninò telum in hoſtes rejicerent: nam etſi ſine ullo periculo legionis delectæ cum Equitatu prælium fore videbat, tamen committendum non putabat, ut, pulſis hoſtibus dici poſſet, eos â ſe per fidem in colloquio circumventos. Verum recentiora quædam etiam Exempla videamus.

Nam

Nam & posterioribus seculis quædam ingenia Heroica Romanorum virtutes æmulandas sibi proposuere. Inter quæ merito suo primum sibi locum vindicat Alfonsus Neapolitanus, qui cum odisset Castellæ Regem gravibus de causis, obtulit se illi Rugerius Pallanzæ Comes, pollicitusq; est, suâ se manu inimicum eius occisurum, si ita illi videretur. Eum aversatus cum indignatione Alfonsus neque animo neque cogitatione id concipere jussit, additâ voce se dignâ: *Etiamsi totius mundi imperium consecuturum me scirem, numquam tam immane scelus permissur⁹ essem.* Macte esto tu ò Alfonse hoc ingenio, neq; enim tua te gloria destituet, quamdiu mundus & homines erũt. Imò in choro cœlestium spirituum triumphabis propter nobilem hanc & Heroicam vocem. Excipiat Alfonsũ Imperator Cunradus, Princeps Germanus: cui cum Bogislaus Poloniæ Dux tributum, quod ex fœdere debebat, superbè negasset, seq; Regem appellasset: ille Majestatis imperialis contemtũ indignissimè ferens, copias adversus illum coëgit: Quod dum serio agit, moritur interim Bogislaus relictis duobus filijs Misicone & Otthone, quorum ille patris contumaciã secutus, hic ad Imperatorẽ confugit, & Misiconis fratris institutũ sibi

*Panormit. de Dict. & Fact. Alfons.*

testatus, paratum imperata facere, quæ deceant, ait. Cunradus coactis copiis & assumto Otthone in Poloniam adversus Misiconem tendit, prohibitis tamen militibus, ne cui nisi armato nocerent, reliquis omnibus sua salva essent, quia videlicet Polonia magis ad Otthonem quam ad Misiconem pertineret. Misico vim sibi admoveri sentiens & imparem se copiis Cæsareis, subditos præterea in fratrem pronos animadvertens, tempori cedendum statuens & de rebus suis desperabundus in Bohemiam ad Vldaricum Regem, qui Imperatori quoq; exosus erat, profugit, sed parūm tutò. Vldaricus enim, quem supplicem susceperat, conjectum in vincula mittere ad Cunradum perfidus proditor decreverat, sperans se eo munere Imperatoris gratiam redemturum, idq; clàm per literas Cunrado significat. Imperator Regis impietatem detestatus, secretò & per occultos nuncios Misiconem monet, ut aliorum fidei se credat, si salvus esse velit, simul illi Regis mittit literas. Misico proditoris animo cognito & magnitudine animi Imperatoris perspectâ, subducit se ex Bohemia, & ultrò supplex venit ad Cunradum, illique offert tributi jus, & imperio se ejus pariturum pollicetur, veniam juvenilis temeritatis rogans,

quam

quam facile ab Optimo Imperatore impetrat, qui & fratres æquis partibus componit, & ſic Poloniam Imperio tributariam conſervavit, ut prodidit Huldricus Mutius in Chronico Germanorum. Adde huic Duringi hiſtoriam Parricidæ Principis ſui Vratiſlai filij, quam deſcribunt Coſmus Pragenſis, Æneas Sylvius & Dubravius, qui Parricidium ſuſpendio luit, cum præmiū â Neclane pueri cæſi patruo ſperaret. Concludam caput Exemplo â Sede Romanâ petito. Scribit Hannibal Scotus: Pium V. Pontificem vehementer cupiiſſe in ſuâ poteſtate habere Marianum Aſculanum facinoroſum Exſulum Ducem, idque ut conſequeretur, varijs modis tentaſſe, rem autem numquam ſucceſſiſſe: tamdem adiiſſe ipſum Mariani quendam amicum, & traditurum ſe ſub ſpecie amicitiæ Marianum pollicitum, Pontificem autem exſecratum hominis ſcelus confeſtim ex oculis faceſſere juſſiſſe. Quod ubi comperit Marianus, ab omni deinceps injuriâ & Eccleſiaſticis regionibus infeſtandis abſtinuiſſe eum adſerit.

*l. 14. p. 117.*

*c. XI. lib. 3. initio.*

*in notis ad Tacitum p. 85.*



# CAPVT III.

*Magnam quoq; partem Imperatorij muneris in eo sitam, ut omina adversa prudenter eludere & in contrarium vertere sciat.*

*Animis penè omnium hominum hoc naturaliter evenit, ut trepident cum ad conflictum venerint. Veget. l. 3 c. 12. lib. 1. bell. Gall. c. 39.*

FIeri vix potest, quin audacissimi etiam milites, cum cogitant de pugnæ discrimine & quam prope â vitæ periculo absint, commoveantur animo & perturbentur, præsertim si de hostis, cum quo confligendum eis, virtute & militari scientiâ sint edocti: Exemplo Romani sint apud Cæsarem, *qui cum ex Gallis & mercatoribus cognovissent, ingenti corporum magnitudine Germanos, incredibili virtute atq; exercitatione in armis esse, Gallosq; sæpe numero cum iis congressos, ne vultum quidem atq; aciem oculorum ferre potuisse, tantus subitò omnem Cæsaris exercitum timor occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosq; perturbaret: adeo quidem, ut neq; vultum fingere, neq; interdum lachrymas tenere possent, abditi etiam in tabernaculis aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur, vulgo totis castris testamenta obsignabantur: horum denique*

*nique vocibus ac timore paullatim etiam ii, qui magnum in castris usum habebant, milites centurionesque, quique Equitatui praerant, perturbabantur.* Vide de hoc metu & Dionem, *l. 38.* & huic geminum apud Velleium Paterculum in obsidione Contrebiæ in Hispania: *lib. 2,* ubi Q. Metelli Macedonici rigor pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias eodem protinus subire jussit, facientibus omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret. Atq; hæc cum ita se habeant, omni studio connitendum est Duci, ne terrorem militi incutiat, sed adimat potius quibus potest modis. Itaque Tiberio minimè probatum olim, quod Cæsar Germanicus Exercitum ad Teutoburgiensem saltum, ubi infelix illa Vari pugna commissa fuerat, deduxisset, & loca mœsta visûque ac memoria deformia: rationem adfert Historicus *Tacitus 1. Annal.* indignationis geminam: Tiberio, inquit id haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine cæsorum insepultorumque tardatum ad prælia & formidolosiorem hostium credebat. Porro in hoc metu constituti milites variè ominabantur, & quidvis etiam temerè seu forte oblatum in omen rapiebant, & ex illo de eventu prælii fortunisq; suis judicabant. Vn-

Vnde circumſpecti Imperatores unicè operam dabant, ut ſi quid ſiniſterius militibus oblatum eſſet, ingenii dexteritate eluderent & in contrarium acutè verterent. Fecit hoc M. Craſſus Euphratem olim tranſiens: cum enim in tranſitu pons ruptus eſſet, militesque animos demittere videret: Bono, inquit, animo eſtote : juro enim, neminem hac reverſurum : Per Armeniam enim ubi eam devicero, redire cogito, quibus verbis animum ſuis reddidit. Plutarchus Euphratem nullo negotio ponte iunxiſſe & exercitum ſine impedimento traduxiſſe ſcribit : convulſum autem illi pontem juxta Zeugma, cujus loci Dio quoque mentionem facit, & ab Alexandro nomen accepiſſe ſcribit, qui illac quoque tranſiverit. Meliori fato idem fecit Cæſar : qui cum in Africam navigaret hieme Adrumetum petiturus navi egrediens, forte in terram cecidit : quem ut milites conſpexerunt cadentem & pronum quidem, animis etiam ipſi conciderunt. Cæſar autem ne hæſitavit quidem, ſed porrecta ſtatim manu, quaſi de induſtria cecidiſſet terram appræhendit, deinde eam oſculatus: Teneo te, inquit, Africa. Quod ipſum magnanimitati ejus tribuere videtur Suetonius: Ne religione quidem ullâ, inquit, â quoquam ince-

*Dio l 40.* *vid. huc veget. l. 1. c. 12.*

*in ejus vitâ.*

*Dio. l. 42. extremo.*

*In vita ejus c. 39.*

incepto absterritus umquam vel retardatus est: Cum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem & Iubam non distulit. Prolabsus etiam in egressu navis, verso ad melius omine, Teneo te, inquit, Africa. Ad eludendas autem vaticinationes, quibus felix & invictum in eâ provinciâ fataliter Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quemdam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitæ Salutioni cognomen erat, in castris secum habuit. Similis animositas in Vespasiano Patre fuit, qui cum podagrâ febriq; laborans valdè decumberet, ejusq; familiares morti vicinum crederent, & de Cometâ qui per id tempus fulserat, nescio quid inter se colloquerentur: Desinite nugarum, inquit, neque enim mihi, sed Parthorum Regi mortem portendit: ille enim comatus est, ego calvus sum. Porro quia in Cometæ mentionem incidimus, recens exemplum subjungam, quod narrat Hieron. Connestagius. *Sebastianus*, inquit, *Portugalliæ Rex, cum an.* CIↃ IↃ LXXVII. *expeditionem in Africam pararet: die IX. Novemb. in Zodiaci librâ, prope locum, in quo tum erat stella Martis, Cometa apparuit, omnium, qui à multis seculis apparuerunt, pulcherrimus ac maximus, qui Lusitanis in procinctu*

*Dio l. 66 & Sueton. in ejus vitâ.*

*l. 1. de Portug. & Castellæ conjunct. p. 50.*

 *stan-*

*ſtantibus metum incuciebat, complura ex veteribus Exempla inferentibus, Cometas portendere infelices ſucceſſus, & quia ex aëre infecto gignuntur, delicatæ Principum vitæ exitium minari. Verum alij, quemadmodum veteres Duces huiuscemodi portenta in bonam partem interpretari ſolebant: non tam, quod illis fiderent; quam ut militibus animum adderent: rem iſtam boni ominis eſſe dicebant: affirmabantque Cometam ipſum in Linguâ Luſitanâ alloqui Regem: & dicere A COMETA, quod Luſitanis ſignificat: Rex hoſtem adoriatur. Qua interpretatione confirmatus infeliciſſimus Princeps, fatum ſuum incurrit, inq; exitium & ſe & regnum præcipitavit.* Sed redeo ad antiquiora. De Juliano Imp. ſcribit Ammianus Marcellinus, quod cum bello Conſtantium laceſſere vellet, & jam apud Pariſios, quatiens ſcutum variis motibus exerceretur, more militari, in campo, axiculis, queis orbis erat compaginatus in vanum excuſſis, anſa remanſerat ſola: quam retinens validâ manu ſtringebat. Territisque, ut omine diro, præſentibus cunctis: *Nemo*, inquit, *vereatur: habeo firmiter quod tenebam.* Idem Iulianus, apud eumdem, cum infelicem expeditionem in Perſiam moliretur, cum exitu ſimulato per Tigrim flecteret dextror-

*lib. 21.*

*Vid. veget. l. 2. c. 14. de hoc more.*

*lib. 23.*

trorsus, ut per Assyrios & Euphratem eò perveniret, & quietâ nocte emensâ mane jumentum, quo veheretur, poposcisset, oblatus est ei Equus, Babylonius nomine, qui ictu torminis consternatus, dum dolorum impatiens volvitur, auro lapillisque ornamenta distincta conspersit: Quo ostento (ipsi, ut eventus docuit, luctuoso) lætior ille exclamavit, plaudentibus proximis: Babylona procidisse humi, ornamentis omnibus spoliatam. Ita videlicet erigere volebat, quamquam mœstus ipse & pene fati sui certus, quod ex illo patet, quod paucis diebus ante ante Lunæ aram, nullo arbitrorum admisso, occultè paludamentum purpureum, propinquo suo tradidit Procopio, mandavitque arripere fidentius Principatum, si se interiisse didicerit apud Parthos. Sed non ante pugnam solum Exercitui timor omnibus modis adimendus est, sed & in ipso prælio & conflictu animus ipsis addendus lætis nunciis sive veris sive fictis. In quam rem insigne monitum est Onosandri: *Imperator*, inquit, *expeditus in Equo, si in dextro suorum prælian-tium cornu sit, exclamet: Milites, qui in lævo sunt, dextrũ hostium cornu vincunt: si in sinistro sit, dicat superiores esse in dextro: sive id ita verè fiat, sive secus.* Strategicô cap. 23.

*Necessa-*

*Necessarium enim mendacium dici oportet, certamen ubi exstitit ingens. Rursus, si longiusculè dissitus sit hostium Dux, aut in altero cornu, aut in medio agmine versetur, vociferari debet: Occubuit hostium Imperator, & hæc contentâ voce ita proferenda sunt, ut hostes quoq; exaudire possint. Commilitones enim, qui suos virtute bellicâ præstantiores hostibus esse audiunt, duplo fortioribus ac promtioribus animis veluti roborantur & augescunt. Contrà hostium vireis, strage suorum perceptâ, metu debilitatæ concidunt, quin & aliquando ad hujusmodi rumorem illico in fugam se dant & acie desertâ sese proripiunt. Tantum sæpe utilitatis adfert, suos juxta & hosteis decipere, illos quidem læto, istos verò luctuoso mendacio.* Hæc Onosander, ut latinè quidem eum loqui fecit Rigaltius. Accepit autem hoc monitum Onosander â Xenophonte: cuius hæc sunt verba: φοβεῖν γε μὴν τοὺς πολεμίους καὶ ψευδενέδρας, ὅιου τε καὶ ψευδοβοηθείας καὶ ψευδαγγελίας ποιοῦντα. θαρσοῦσι δὲ μάλιστα πολέμιοι, ὅταν τοῖς ἐναντίοις πράγματα καὶ ἀσχολίας πυνθάνωνται. *Porrò autem* (inquit) *falsis insidiis, auxiliis falsis, falsisq; rumoribus terrere hostes debet: maximè enim hostes fiduciam sumere solent, cum res adversariorum laborare audiunt & impeditas esse.* Ex Onosandro Leo quoque habet. Ante hos tamen duos usurpavit feliciter

*in Hipparchico.*

Vale-

Valerius Lævinus adversus Pyrrhum: occiso enim quodam gregali, tenens gladiū cruentum, exercitui utrique persuasit, Pyrrhum interemtum. Quamobrem hostes destitutos se Ducis morte credentes, consternati â vaframento, se pavidi in castra receperunt. usurpavit etiam Myronides Atheniensis, qui dubio prælio adversus Thebanos rem gerens repente in dextrum suorum cornu prosiliit, & sinistro se jam vicisse exclamavit: quare & suis alacritate & hostibus metu injecto vicit, ut notavit Frontinus, quem & ibidem de Jugurthâ C. Marium â se occisum cum fructu mentiente vide. Cavendum tamen, ne crebrò talibus fallacijs exercitus adspergatur, ne deceptioni lócus ultra non sit, in quam rem eleganter Cyrus: *εἰ πολλάκις προσδοκίας ἐμβαλὼν ψεύσηταί τις, τελευτῶν οὐδ᾽ ὁπόταν ἀληθεῖς ἐλπίδας λέγῃ ὁ τοιοῦτος, πείθειν δύναται.* *Si quis frequenter bonorum exspectationes injiciens fefellerit, vir hujusmodi ne tum quidem persuadere, cum spem veram attulerit, poterit,* ut ex Xenophonte notavit Ioh. Chokierus.

*l. 1. Κύρου παιδείας. In Notis ad Onosandrum*

Caput



# CAPUT IV.

## *Hostium res & consilia Duci bono cognitissima esse debere.*

l. 3. c. 26. INter regulas bellorum generales, quas adfert Flavius Vegetius potissima mihi visa est illa, quâ monet: Difficile eum vinci, qui verè possit de suis & adversarii copiis judicare: Inde enim liquidò apparet: Ducem non tantum suas respicere vireis debere, sed & hostium res rationesque ac consilia cognita habere Quod animadvertentes famosissimi quique Duces, unicè id operam dederunt, ut quavis ratione hæc consequerentur. Laudatur sanè â divino Platone Homericus Dux, quod fuerit κλέπτης τῶν πολεμίων. Fur hostilium
Liv. Dec. consiliorum: Et Sextus Tarquinius apud Gabios jactat: se in eo sibi præcipuam prudentiam adsumere, quod utriusq; populi, videlicet Romani & Gabiorum vires nosset, sciretque invisam profectò superbiam regiam civibus esse, quam ferre ne liberi quidem potuissent. Chabrias etiam Atheniensium olim Dux ita censebat, eos optimè Ducis munere fungi, qui res hostium

ſtium non minus quam ſuas cognitas haberent, quam laudem Hannibali Livius *lib. 22.* tribuit nec immeritò : Nam & ſitum regionum, itinera, conſulis hoſtis animum copiasque per exploratores ſumma cum curâ inquirendo exſequebatur : cumque Flamini ingenium inquietum & temerarium didiciſſet, minus metuebat, & tamdem nobilitatâ Romanorum clade ad lacum Thraſymenum vicit. Submiſſis pòſt â Senatu Q. Fabio Maximo Dictatore & M. Minucio Rufo Eq. Magiſtro, nihil prius habuit, quam ut eorum quoque indolem cognoſceret, quod & conſecutus eſt : Nam ut primùm rationem belli gerendi cunctationemque Fabii animadvertit ſuisque ſe ſenſit artibus peti, tacitâ curâ animum incenſus eſt, viditque quod cum Duce haud quaquam Flaminio Semproniooque ſimili futura res eſſet ſed parem ſibi quæſitum â Romanis Ducem, itaque prudentiam Dictatoris, non vim extemplò timuit. Contra videbat, Fabii ſanis conſilijs non ſe magis infeſtum, quamquam conſtantiam eius tentare, movendo crebrò caſtra, populandoque in oculis eius agros ſociorum, non ceſſaret : quam Magiſtrum Equitum, qui nihil aliud, quam quod non imperabat,
moræ

moræ ad Remp. præcipitandam habebat, ferox rapidusq; in consilijs ac lingua immodicus, primò inter paucos, dein propalàm in vulgus pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia compellabat: premendorumque superiorum arte quæ pessima ars nimis prosperis multorũ successibus crevit, sese exaltabat. Ex hoc dissidio secutum hoc est, ut dividerent inter se Legiones, & castris etiam sese separarent, unde duplex Annibali gaudium, neque enim quidquam eum eorum, quæ apud hostes agerentur, fallebat, & perfugis multa indicantibus, & per suos explorantem: nam Minutium ferocius quam consultius rem gesturum notabat, eiusque temeritatem se suo capturum modo confidebat: & solertiæ Fabi dimidium decessisse animadvertebat. Atque in illo quidem spes eum non fefellit. Fabius autem laboranti Rufo & penè strato in tempore adfuit, remque Romanam restituit, docuitque quantum στρατιωτικῆς προπετείας καὶ κενοδοξίας διαφέρει στρατηγικὴ πρόνοια καὶ λογισμὸς ἑστὼς καὶ νουνεχής: Imperatoria prudentia & judicium firmum ac sapiens militari temeritati & inanis gloriolæ cupidini præstet, ut loquitur Polybius. Hæc in Hannibale Ducum adversariorum considе-

ſideratio diligens & accurata, verum fecit, ejuſdem PolybI Noëma, quod ſuper hac re poſteritati reliquit : Οὐ γάρ, inquit, ἄλλως εἰκὸς εἰπεῖν. ὡς εἴτις οἴεται κυριώτερόν τι μέρος εἶναι στρατηγίας τοῦ γνῶναι τὴν προαίρεσιν καὶ τὴν φύσιν τοῦ τῶν ἐναντίων ἡγεμόνος, ἀγνοεῖ καὶ τετύφωται. *Neq; enim aliter ſentire aut eloqui poſſum, quam errare illum & cæca mentis caligine laborare, ſi quis inter Imperatorias virtutes ullam potiorem ducat, curâ explorandi ingenium ac naturam Ducis adverſi.* Deducit autem hoc partim ſimili, partim ἐξαριθμήσει : *Quemadmodum*, inquit, *ubi vir cum viro, aut ordo cum ordine decertant, eum, qui victoriam reportare cogitet, diligenter adtendere opus eſt, qua ratione voti compos fieri poterit, ſive quid intectum ab armis in adverſario deprehendi queat: ſic eos oportet, qui ſummæ belli præeſſe volunt, obſervare, non quidem, ecquid in corpore pateat, ſed qua parte animi dux hoſtium facilius capi queat. Multi ſi quidem per ignaviam & ſocordiam, quæ totius vitæ rationes illis conturbat, non publicarum duntaxat rerum curam negligunt, ſed familiarem quoq; ſuam peſſum ire ſinunt. Quidam adeo vini ſunt avidi, ut ne ſomnum quidem capere, niſi alienatâ ebrietate mente, queant. Nonnulli dum rebus Venereis indulgent, atq; amore ſtupent, non urbes ſolum ac domos ſuas everterunt:*

*sed propriæ etiam vitæ jacturam cum dedecore fecerunt. Timor verò atq; inertia tum privatam iis ignominiam, quibus insunt, solent conciliare: tum, si in Imperatore fuerint, publicam, eamq; maximam calamitatem afferunt: quippe quæ non solum torpere otio nihil tentantem eius exercitum efficiant: sed & in pericula persæpe maxima eos conjiciant, qui tali Duce fidebant. Temeritas, ferocia & præceps iracundia, nec non inanis gloriæ studiũ & fastus hostibus facilem victoriam præbent; amicis, ut plurimùm perniciem: quũ iis moribus præditi homines omnium machinationi insidiis ac fraudi sint expositi. Quamobrẽ si quis aliorũ peccata possit cognoscere, & eâ hostes aggredi, quâ & per quæ facilimè Dux illorum est inexpugnabilis, hic brevissimo tempore omnium dominaretur. Ut enim sublato gubernatore, navis universa cum ipsis vectoribus in potestatẽ hostiũ venit: sic, ubi in bello hostiliũ copiarũ ducem astu & consilio circumveneris, eâdem non rarò etiã universũm exercitũ in tuam redegeris potestatem.* Hæc de Hannibale ibidẽ gravissimus scribtor. Germanico prorsus hanc laudem Tacitus quoq; tribuit: Qui cum Arminiũ magna strage affecisset, eumq; in fugã compulisset, miles autem victor in loco prælii Tiberiũ Imperatorẽ salutasset, struxissetq; aggerẽ & in modũ trophæorum arma, subscribtis victarũ gentiũ nominib⁹ imposuisset, subjungit Historicus. *Haud perinde Ger-*

L. 2. Annal.

*manos*

*mare vulnera, luctus, excidia, quam eam speciem dolore & ira adfecisse, itaq; pugnam rursus voluisse, arma rapuisse & agmen Romanũ repente incursasse, turbasse: ad extremũ delegisse locum flumine & silvis clausum, artâ intus planicie & humidâ, quas silvas etiam ipsas palus profunda ambibat, ubi per insidias Romanis nocerent. Sed addit. Nihil ex iis Cæsari incognitũ, consilia, locos, promta occulta noverat, astusq; hostiũ in perniciẽ ipsis vertebat.* Marcellin⁹ deniq; Constantiũ comendat, quod cum in Persia bellũ gereret, miserit Arbetionẽ & Agilonẽ, ut occulta fallacissimæ gentis observarent. In contrariũ peccatũ â plurimis & ignoratione locorũ & itinerũ ꝑ quæ exercitũ comodè ducerent, quod accidisse Decio scribit Zosimus, & ignoratione hostiũ aut inusitato genere armorũ: Quorumdã enim in impetu vis est, quæ morâ languescit, quorumdam vis augescit tractu temporis, & ipsa morâ incenduntur magis: Germanis ap. Tacitũ non minor erat virtus quã Romanis, vincebantur tamẽ & succumbebant novo genere pugnæ & armorum: Quod & Romanis accidit in Britañiâ, referente Cæsare; & Aur. Imp. non leve momentum ad victoriam adtulit, quod Palæstinorũ armis, quæ clavæ erant, Palmyreni essent adtoniti, ut narrat Zosim⁹. Sed hæc jam attigi Decade VI itaq; nihil adtinet repetere.

*lib. 21.* *lib. 1.* *lib. 5. de Bell. Gall.* *lib. 1.*



# CAPVT V.

## *Ducem illum Optimum videri, qui inferiores militiæ gradus emensus sit.*

3. Polit. c. 3. 6. de LL. 3. de LL. SCitum est Aristotelis : Οὐκ ἔστιν εὖ ἄρξαι μὴ ἀρχθέντα. Bene vix umquam imperabit, qui parere numquam didicit, quod & Plato monuit & ex eo sumsit Cicero : *Qui benè imperat, paruerit aliquando necesse est, & qui modestè paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse.* In ejus vitâ. Vnde non ineptè Plutarchus de Agesilao Spartanorum Rege : omnibus illum affabilem & humanum se præbuisse, quod non rudis nec imperitus parendi ad imperium accessisset. Quod autem de Imperio universè docuerat Philosophus, id Bellicis quoque mox imperijs accommodat, cum inquit : *unde præfectura Equestris ei rectè commendabitur, qui Præfecto paruerit, prætura belli, qui Prætori, & tribunatus qui tribuno, & Centuriatus qui Centurioni:* Lib. 2. c. 10. Rationem reddit Vegetius, qua de Præfecto castrorum : *Præfectus,* inquit, *castrorum legebatur post probatam militiam, ut rectè*

*rectè doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.* Hinc apud Tacitum sæpe hujus generis Encomium Præfectis militaribus tributum legas: De Aufidieno enim Rufo miserè â seditiosis militibus sub Duce Percennio, habito ita scribit: *Præcipuâ in Aufidienum Rufum præfectum castrorum irâ sæviebant, quem direptum* (lego dereptum) *vehiculo sarcinis gravant, aguntq; in primo agmine, per ludibrium rogitantes: an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret?* mox caussam hujus sævitiæ subjungit: *Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris præfectus, antiquam duramq; militiam revocabat, vetus operis ac laboris, & eò immitior, quia toleraverat.* De Cæcinnâ quoque adversus Arminium misso scribit: *Quadragesimum id stipendium Cæcinna parendi aut imperitandi habebat: secundarum ambiguarumq; rerum sciens, eoq; interritus, qua sive peritiâ sive prudentia consecutus est id, ut Arminio victoriam velut è manibus extorqueret:* Atque in hoc numero stipendiorum ipse se jactat alibi: cum graviter disputat, uxores maritos in bellum sequi non debere, quod & ille studiosè observarit, & cum per plures Provincias quadraginta stipendia expleverit, numquam tamen uxorem, quam ut sex liberorum ex se matrem non

lib. 1. Annal.

ita Puchena.

lib. 3. Annal.

minus, quam alii ſuas, diligat atque amet, circumduxerit. Idem Tacitus Tiberiū ſapienter & bono judicio feciſſe ait, quod, cum Rheſcuporidi Thraciæ Regi, homini verſuto, & quidvis ſimulanti ac diſſimulanti, minus fideret, Pomponiū Flaccum veterē ſtipendiis, & artâ cum Rege amicitiâ. eòq; accomodatiorem ad fallendum, obid maximè Mœſiæ præfecit: nec ſine effectu: nam in Thraciam transgreſſus per ingentia promiſſa, quamvis ambiguum & ſcelera ſua reputantem, perpulit, ut præſidia Romana intraret: circūdata hinc regi, ſpecie honoris, valida manus, tribuniq; & centuriones, monendo, ſuadendo, & quanto longius abſcedebat, apertiore cuſtodiâ, poſtremò gnarū neceſſitatis in urbē traxere, ſic aſtutiam Rheſcuporis vicit peritia Pomponi & diuturnus rei militaris uſus. Gallū quoq; ſuum Amianus Marcellinus laudat, quod miles ſemper fuerit & exinde militū ductor, aliā cauſſam adfert Salluſtius, ubi commemorat, non imperitè factum â Caio Antonio Coſ. quod, cum ipſe pedibus eſſet æger, M. Petreio exercitum permiſerit: Addit enim: *Homo erat Petreius militaris: amplius annos triginta tribunus aut præfectus, aut legatus, aut Prætor cum magnâ gloriâ in exercitu fuerat, plerosq; ipſos, factaq; eorū fortia noverat, eo commemorādo militū animos accendebat.* Quib' etiā exemplis addere lubet recentius Annæ Momaranti

*in Catil.*

Galliȩ Conestablij, de quo ita ei⁹ Epitaphiũ:

*Adsta viator, non leve pretium moræ,*
*Hic grande parvo cor duplex jacet loco:*
*Regis Ducisq;, Regis Henrici, Ducis*
*Mommorantii Annæ, per gradus qui singulos*
*Ad militaris ordinis fastigium*
*Pervenit & res maximas sub maximis*
*Domi forisq; Regibus gessit tribus*
*Francisco & Henrico ultimoq; Carolo.* Hodiè si rẽ militarẽ circũspicias, alia omnia fieri videas Præficiuntur enim officijs militaribus homines majore domi ob genus & divitias auctoritate, quam rerũ usu præditi, qui, quas dixi, dotibus tumidi, hostes solo adventus sui terrore debellatũ iri confidunt: Præficiuntur ex cõmendatione aut precib⁹ ꝓpinquorũ, vel studiis Principũ in hunc illumne privatis: Tales porro, ubi iu castra veniunt, non vigilias agere, nõ intuta mœniũ firmare, nõ consiliis ꝓvidere, sed noctu diuq; fluxi amœna litorũ ꝑsonare, in ministeria luxus militẽ dispergere solent, diẽ conviviis ducere & inter ea tantũ de bello loqui, noctẽ libidine frangere, quæ Encomia Iuliano atq; Apollinari tribuit idẽ quem sœpe jam laudavi, Tacitus. *Inde fit, ut, sub his Ducibus, miles si quid ardoris ac ferociæ habuit, id popinis comessationibus & Ducum imitatione deteratur, exuatur etiam omnis reverentia & pudor, succedat contemtus Ducis, quod accidit Vitellio: milesq; adeo non in arbitrio Ducum, sed Duces ipsi militari violentiâ trahantur.* ut de Primo Antonio legimus.

*3. Hist.* *2. Hist.* *ibid.* *2. Hist.*

8. *Hist.* Quæ mala caveri omnino debent, & opera vnicè dari, ut, qui rebus aliquando præesse debent, & patriæ dignitatem ac salutem tueri, maturè belli artibus instituantur, & per gradus suos ad Ducis officium progrediantur. Vidit hoc prudenter Tiberius, itaque Drusum filium in Jllyricum misit, ut suesceret militiæ, studiaque exercitus pararet, ubi addit Historicus, *simul juvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi rebatur*: quod notent nostri proceres, nam idem peccatum hodiè peccatur à Principibus Iuventutis. Exemplum quoque suppeditat Germanici filius, qui ut in castris genitus, ita in contubernio legionum eductus fuit, & ab ijsdem Caligulæ nomen accepit, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Testatur Distichon vetus:

*Annal. l. 2. Tacit.*

*In castris genitus, patriis nutritus in armis*
*Iam designati Principis omen erat.*

*Vid. Lipf. ad 2 Ann. Tacit.* Tacitus præterea & Plinius, qui Suetonio seorsum abeunte, potiores mihi sunt. Patrum ævo fortissimus Heros Georgius Freundspergius de Mindelheim filium Casparum suæ virtutis spectatorem in castris secum habuit, & hic patrem indolis generosæ formatorem, post testem & gloriæ æmu-

æmulum atque probatorem. Vivit, (atq; ut diu vivat ac perennet DEUM veneror, mecumque omnes boni,) Illustrissimus & Bellicosissimus Heros, Mauricius Nassovius Aurantiæ Princeps, qui tot laureas, tot Triumphos, tot clarissimas victorias cui debet, nisi Divo Patri? cui in omnibus penè bellis & præliis adfuit, atque ex eo audivit Virgilianum illud:

*Disce, puer, virtutem ex me verumq; labo-*
*Fortunam ex aliis.* {*rem,*

Hac caussa olim Heroum filiis additi μνήμονες sive Monitores, qui in bellicis artibus à teneris eos informarent: Sic Iphiclus Iasoni additus:

*fessum Phylace quem miserat ævo* Val. Flacus
*Non jam operum in partem, monitus sed trа-* l. 1. Argon.
*dat ut acres,*
*Magnorumq; viros qui laudibus urat*
*avorum.*

Talis Achilli Phœnix, de quo Symmachus: non Achilli excusavit ætatis suæ frigus l. 3. Epist. 14. Phœnix monitor. Talis denique Epitydes apud Virgilium in certamine puerorum lib. 5. Æn. ubi

*gaudentq; tuentes*
*Dardanidæ, veterumq; agnoscunt ora Pa-*
*rentum,* (*suorum*
*Postquam omnem læti consessum, oculosq;*

*Vid. hac de re c. 5. Decad. 1. de studiis Principum.*

*Lustravere in Equis, signum clamore paratis*
*Epitydes longè dedit, insonuitq; flagello.*

Talis Æneas Pallanti ex commendatione Evandri Patris. Quorum Exempla si proceres nostri sequi nolint, revocari optem veterem majorum nostrorum morem, quē Tacitus notat: *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt & exemplo potius quam imperio, si promti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt.* Quod hodièq; sanctissimi & diligentissimi laudabilium institutorum custodes Turcæ usurpant, apud quos nulla generis nobilitas, solâ domo Othomanorum exceptâ, quæ suis censetur natalibus, reliqui nequaquam genere destinguuntur: sed munerib⁹, quæ Princeps ipse distribuit, in quo non divitias, non fumum nobilitatis pendit, non gratiam cuiusquam aut multitudinis judicium moratur, sed merita considerat, mores atq; ingenium intuetur. Ita suos ibi quisq; natales, suam fortunã quam fingat pro arbitrio, in manu habet. Vnde qui rerum primas â Principe tenent ferè sunt pastorum aut bubulcorum filii, de quo tantum abest, ut eos pudeat, etiam inter se glorientur, eoque plus sibi tribuant, quo minus maioribus aut fortunæ natalium debent. Sic in eâ gente dignitates, honores, magistratus virtutum & meritorum præ-

mia

mia sunt, improbitas, ignavia, inertia nullo honore pensantur, jacent, contemnũturq;: *Ergo*, concludit Nobilissimus Busbequius, *illi rebus gestis florent, dominantur, imperii fines quotidiè proferunt: apud nos aliis vivitur moribus, virtuti nihil est relictum loci: omnia natalibus deferuntur, opinione natalium omnes honoris aditus occupantur.* Epist. 1 p. 76.



## CAPUT VI.

*Triumphum non esse canendum ante victoriam.*

IN Decadis III. cap. IIX. monuimus temeritatem & hostis contemtum Duci maximè fugiendum, idq; exemplis quibusdã illustravimus: Illis quædam interea mihi observata lubuit addere, & sic ostendere, quomodo, quod in vetere est verbo, dies diem doceat, hora horam. Ac primùm quidem de M. Antonio Cretam insulam invadente, audiamus, quæ Florus dicat: *Primus*, inquit, *invasit insulam M. Antonius, cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiduciâ, adeo ut plureis catenas in navibus quã arma portaret. Dedit itaq; pœnas vecordiæ, nam plerasq; naves intercepere hostes, captivaq; corpora religata velis ac funib⁹ pependere, ac sic velificantes triũphantiũ in modũ Cretes portib⁹ suis adremigaverunt.* Cui nar- lib. 3. c. 7.

narrationi geminum germanum est, quod de Flaminii adversus Hannibalem expeditione Polybius scribit: Τέλος ταῦτ᾽ εἰπὼν ὁ Φλαμίνιος, ἀναζεύξας προῆγε μετὰ τῆς δυνάμεως, ὐ καιρὸν· οὔτέπου προορώμενος. μόνον δὲ σπεύδων συμπεσεῖν τοῖς πολεμίοις, ὡς προδήλου τῆς νίκης αὐτοῖς ὑπαρχούσης. τηλικοῦτον γὰρ προενεβεβλήκει κατελπισμὸν τοῖς ὄχλοις: ὥστε πλείους εἶναι τῶν τὰ ὅπλα φερόντων τοὺς ἐκτὸς παρεπομένους τῆς ὠφελείας χάριν, κομίζοντας ἁλύσεις καὶ πέδας, καὶ πᾶσαν τὴν τοιαύτην παρασκευὴν, h. e. *Tamdem locutus hæc Flaminius, castra movet, cumq; omnibus copiis nulla neq; temporis neq; loci ratione habitâ, pergit ire, hoc unum studens, ut quam primum cum hoste concurreret, ceu parata certaq; esset victoria. Atq; adeò tanta spe vulgi animos compleverat Consul, ut armatos numero superarent lixæ & alii, qui prædæ avidi extra agmen sequebantur, catenis vinculis & id rerum genus apparatibus onusti.* De majoribus etiam nostris temeritatem hanc bis lego, semel apud Florum: *Drusus*, inquit, *inde validissimas nationes, Cheruscos, Suevos & Sicambros aggressus est pariter: qui viginti centurionibus concrematis, hoc velut sacramento sumserant bellum, adeo certa victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione dividerent. Cherusci Equos: Suevi aurum & argentum; Sicambri captivos elegerant. Sed*

*omnia*

*omnia retrorsum: Victor namq; Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosq; præda divisit & vendidit.* Iterum apud Tacitum in clade Harminl. *Quinta*, inquit Historicus, *ab horâ diei ad noctem cæsi hostes: X M passuum cadaveribus atq; armis opplevere, repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos, ut non dubio eventu, portaverant.* Memorabile Exemplum Bohemica etiam Historia nobis suppeditat. Defuncto Crevomyslio filius Neclan Bohemiæ principatu potitur, nomen sortitus ab imbelli indole: quem cum tali ingenio esse resciviſſet Vlatislaus propinquus ejus, bello terrendum, principatumque illi armis extorquendum putavit: itaque comparatis necessarijs ex improviso cum armata manu fines patruelis ingreditur populabundusque insilit, repertoque loco intra duos montes, novo oppido condendo idoneo, condere protinus id cepit, atque ex suo nomine Vlastislaviũ vocavit. Neclan pavore perculsus, duos ex intimis aulicis ad Patruelem legat, pacem & mutuam amicitiam oraturos: quos ille quasi exploratum missos, coclites domum remittit. Supervenere mox alij, qui iratum muneribus haud spernendis placarent. Sed & illi dicta contumeliarum plena & minarum retulerant; orationem ita finiente

*2. Annal.*

*Cosmus Pragensis p. 7. Æn. Sylv. cap. 10. Dubrav. initio l. 3.*

*Vratislaviæ inter Medinam & Pubecham.*

finiente Vlatiſlao : *non muneribus, ſed toto Principatu miſſo opus eſſe, ſi cupiditatem ſuam ſedare Neclan voluerit:* Strictum deinde enſem per Lucenſem regionem cum eiusmodi edicto circumferri jubet: Vt mares omnes, qui enſis longitudinē proceritate corporis adæquarent, militatū venirent, ſi detrectarent, eodem enſe perituri. Ad hoc tā durum aſperumque edictum, cum major, quam animo præceperat, multitudo conveniret, tum, quaſi de victoria certus, multa vana gloriabundus jactat, & inprimis pedites ad barbaram crudelitatem acuit, injungens, ut nemini prorſus tam in viâ quam in acie parcerent: non ſeni, non juveni, non puero, nō puellis, quin etiā lactentes infantes ab uberibus matrū abreptos confoderent, ipſis matrib' in hoc duntaxat incolumibus ſervatis, ut illæ ꝓ infantibus ſuis catellos Lucenſiū poſt hanc victoriā nutrirēt. Tum ad Equites converſus, abjicite, inq̄t, ſcuta, quib' in fugâ & cæde hoſtiū nihil op' eſt, eorūq; loco accipitres, falcōes, cęterasq; aves rapaces in manus ſumite, ut illarum ingluviē hoſtili carne ſaturetis. Sed aliter Deo viſū: Nam & in prælio Vlatiſlaus periit confoſſus â Syderio â Chainova Equite ſtrenuo, & exercitus eius omnis cæſus, profligatusq;. Sic videlicet Deus deprimit ſublimia & victoriā in ſua habet manu, largiturus ei, cui

*Coſmas Tyronem nominat, Sylvius Sclercium, ego Dubravium ſequor.*

vult,

vult, non qui eam arroganter præsumit, ut eleganter loquitur vir Illust. Ant. Guevara. Non paullò lœtius & penè ridiculū exemplū narrat Thuan⁹ de Monlucio Patre Duce strenuo: *Qui in bello nobili inter Gallos & Hispanos gesto, cū prope Marinū in quo M. Antonius Columna, utpote in suo diverterat, eius intercipiēdi spē concepisset, cū rapta manu ex Paliani & Aur. Fulgosii equitū alis, adducto præterea secū Bonifacio Molâ, StrozZI permissu, profectus in insidiis juxta municipiū delituit, præmissis aliquot, qui hostē ad certamē elicerent: sic enim fore judicabat, ut Columna decoris bellici desiderio, quod in juvenili ætate effervescit, provectus, subitò egrederetur & in insidias præcipitaret: tantâq; fiduciâ id sibi persuaserat, ut jam captivū tenere sibi videretur, & redemtionis pretii, quod ad* XXC *aureorū* CIↃ *æstimabat, ratione diligenter putatâ, quid in socios erogaturus, quid sibi sumturus esset, & amplissimas possessiones, quas ex eâ pecūia juxta Lutetiā emturus esset, jam animo imaginaretur. Sed cū superventu Ascanl Cornei ab Albano missi conatus impeditus fuisset, adeoq; in eius caput periculum, quod alteri parabat, conversum, spes de repentinis illis divitiis evanuit, eventuq;, at non risu caruit, quam historiam ipse quoq; Monlucius in Commentarios suos bellicos retulit.* De Federico II. Imp. scribunt duo magni nominis Historici Paulus Æmylius & Pandulphus Collenutius, idem hoc ab illo peccatū

*Hist. lib. 17.*

*In D. Ludovico p.144.6 l. 1. 4. Hist. Neap. p. 147.*

non

non ſine vindictâ divinâ. Cum enim in itinere Gallico reſciviſſet, Brixianos Placentinosque cum aliis Imperii rebellibus & Apoſtólico Legato Parmam occupâſſe, & Henricum Teſtam Urbi imperii nomine præfectum interemiſſe, Pontificis hanc machinã eſſe cognoſcens, inſtitutum iter non ſine gravi indignatione omiſit, & cum omnibus copijs Parmam regreſſus eſt, eamque exercitu ſexaginta millium hominum obſedit. Atque ut majori commoditate in cepta obſidione perſiſtere poſſet, brevi temporis ſpatio ex adverſo aliam ligneam urbem condidit, quam Victoriam apellavit, templum quoque ſub S. Victoris titulo in eâ conſtruxit: nummum etiam notâ ejuſdem Divi percuſſum Victoriatum nuncupavit. Sultanorum Orientis ſimul Africæ Regum ſocius amicusque, miſſis ad ſe Elephantis ac omni genere ferarum quæ florente re Romana & jura Orbi terrarum dante, notæ fuerant, ſed tunc inuſitatæ erant oculis hominum, ſpectacula edidit, muneraque antiquitati comparanda. Ludos fecit, produxit homines inauditis linguis, gentibusque ignotis ac novo habitu: Cæſarum autem veterum magnificentiam & ſplendorem, ſed alieno tempore, æquare conatus, ad penuriam pecuniæ recidit.

*factum menſe Iunio A. Sal. 1247.*

Victo-

Victoriatos, qui anteà aurei cudebantur, jam ſcorteos facere cepit, cum perparvâ eius argenteâ effigie: propoſito edicto, ut hi nummo aureo cenſerentur: fiſcum ſuum tantidem illos æſtimaturum accepturumquè. Sed & mox ferro victus eſt: Cum enim aliquando ex morbo, quo compluribus diebus laboraverat, paulliſper convaleſcens, ut falconibus & aucupiis ſe recrearet quinquaginta comitatus Equitibus, victoriâ ſua exiviſſet, quod factum ultimâ Febr. anni 1248. & reliquus Exercitus, cum ob abſentiam Imperatoris, tum nimiâ confidentiâ hoſtiumque contemtu, licentioſius ageret: Parmenſes occaſione arreptâ cum quibus licuit viribus egreſſi Victoriam aggreſſi ſunt &, fruſtra atq; invanum reſiſtentibus Cæſareis, cum nec reverſus ſubitò Federicus opem ferre poſſet, dirutis atq; deſtructis munitionibus ac vallis expugnarunt, adeoq; Victoriam vicerunt, Imperatoris domum, ſceptra, coronam, omniaque pretioſa ornamenta obtinuerunt, urbem ad extremũ incenderunt, repleverunt foſſas, & in editum quendam atque conſpicuum locum hos verſus affixerunt:

*Per te, Rex alme, ceſſit Victoria Parmæ,*
*Antiphraſi dicta ceſſit victoria victa.*

Cumq; in eadem expugnatione Carrucæ Cremonensium potentes facti essent, in contemtum asinis per urbem trahendam curarunt, appositis his versibus:

*Carrocii flet damna sui miseranda Cremona,*
*Imperii Federice tui fugis absq; coronâ.*

Concludam caput miserabili èxemplo Illustrissimi Adolescentis Sebastiani Portugalliæ Regis, quem desiderium Africæ ita excæcavit, ut coronam & reliqua, quæ ad coronationem Regis Fessæ & Marocci requiri videbantur, confici juberet, & secum in Africam inferret, ignarus fati sui, quod eum illic manebat: Occubuit enim excelsi animi Princeps in primo cum Mauris prælio, cum omnia & præclari Ducis & animosi atq; fortis militis munia complevisset, ut de eo scribtum reliquit Hieron. Connestagius.

*l. 1. de Portug. & Castellæ conjunctione p. 57.*

Caput

# CAPUT VII.

## *Unâ victoriâ partâ non nimis exultandum.*

ILlustria sunt verba Polybii narrantis prælium Machanidæ, quo â Philopœmene victus est: quæ ut latinè reddidit Casaubonus ὁ μακαρίτης, ita proponam: *Cum*, inquit, *magnæ sit dubio procul virtutis, benè rem gerere, ubi ceperis, lœto fine, quod institueris, terminare; maius tamen & magis arduum est, postquam tua prima consilia infeliciter cesserint, consistere te posse mente, & eorum, quibus favet Fortuna, animadvertere inopiam judicii & ex eorum peccatis occasionem benè gerendæ rei captare. Sœpe enim est cernere eos, qui superiores jam videbantur evasisse, mox universo prælio esse victos: alios contra, qui per initia offenderant, postmodum mutata rerum facie summæ rei victoriam suâ sollertiâ, præter opinionem omnium esse consecutos.* His gravissimi Scribtoris verbis illustre continetur præceptum militare: non esse videlicet una victoriâ nimis exsultandum: quia ea sit fortunæ volubilitas, ut facilimè deserat eum, qui lib. XI.

 debel-

debellatum uno prælio hostem fastidiosè præsumat. Inculcavit hoc Samnitibus suis Herennius Pontius Imperatoris Samnitium pater, qui cum accepisset ad Furculas Caudinas inter duos saltus clausos exercitus Romanos, consultus ab nuntio filii, censuit omnes inde quam primùm inviolatos dimittendos, sic cum potentissimo populo per ingens beneficium perpetuam firmari pacem amicitiamque posse. Clarius & gravioribus verbis Offilius Calavius Ovii filius: cum imperitè jactaretur: Habere Samnites victoriam non præclaram solum, sed etiam perpetuam: cepisse enim eos non Romam, sicut ante Gallos, sed quod bellicosius multò fuerit, Romanam virtutem, ferociamque: Longe, inquit, aliter se res habet, silentium illud obstinatum sub jugum missorum Romanorum cum indelebili ignominiâ, fixique in terram oculi, & surdæ ad omnia solatia aures, intuendæq; lucis pudor ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia esse: aut se Romana ignorare ingenia addens, aut silentium illud Samnitibus flebiles brevi clamores gemitusq; excitaturum, Caudinæque pacis aliquantò Samnitibus quam Romanis tristiorem memoriam, saltusque illos Caudinos non ubique Samnitibus fore:

*Vid. Historiã ap Liv. Dec. 1. l. 9.*

re: Neque defuit augurio eventus, ut apud Livium videre eſt. Nec alia mens Perſarum Regi Belſelo, Caduſiorum, Balero, Armeniorum Artabaſdi apud Trebellium Pollionem: qui cum intellexiſſent â Sapore Perſâ, amico rege Valerianum dolo & fraude interceptum, & ab eodem minus honorificè ſed ſuperbo atque elato animo detineri, literis eum monere non deſtiterunt, uti Imperatorem dimitteret: Belſelus quidem his verbis: Si ſcirem poſſe aliquando Romanos penitus vinci, gauderem tecum de victoria, quam præfers: ſed quia vel fato vel virtute gens illa plurimum poteſt, vide, ne quod ſenem Imperatorem cepiſti, & id quidē fraude, malè tibi cedat poſteriſq; tuis. Balerus autem: Valerianū principem principum captū non ſatis gratulor, magis gratularer, ſi redderetur. Romani enim graviores tunc ſunt, quando vincuntur. Age igitur, ut prudentem decet, nec fortuna te inflet, quæ multos decepit. Valerianus & filium Imperatorem habet & nepotem Cæſarem: & quid? Habet & omnem orbem illum Romanum, qui contra te totus inſurget. Artabaſdes denique: In partem gloriæ venio: ſed vereor, ne non tam viceris, quam bella ſeveris: Unum ſenem cepiſti & omnes gentes ter- *In Valeriano.*

rarum penè tibi infestissimas reddidisti: Valerianum enim & filius repetet & nepos & duces Romani & omnis Galliâ, & omnis Africa & omnis Hispania, & omnis Italia, & omnes gentes, quæ sunt in Illyrico atq; in Oriente & in Ponto, quæ aut cum Romanis consentiunt, aut Romanorum sunt. Atque horum quidem rectè suadentium consilia si audivisset Sapor, non in eas clades se præcipitasset, quas expertus postea est sub Odenato Palmyreno & Zenobia, ut auctor est Pollio. Nocuit hæc temeritas pluries in historiis etiam recentioribus: Gallos enim fusos esse scribit Frossardus memorabili clade, quod propter pridiani cuiusdam conflictus benigniorem fortunam negligentius excubias egissent. Eadem temeritas iisdem Gallis nocuit, cum omnem futuri belli metum unâ insigni victoriâ ad Ravennam sustulisse sibi viderentur. Mox enim Galli Duces, adnitente Quæstore Normanniæ, sed contra nequicquam reclamante Trivultio, peditatum fermè omnem dimiserunt: Quæ res, sicuti ab exitiabili avaritiâ initium cepit: ita luctuosum admodum bello finem parans, Gallos ab Italiâ nullo prope negotio exegit, ut prolixè historiam narrat Iovius.

*in XXX. Tyrannis. lib. 1.*

Vr-

Vrspergensis etiam Abbas narrat Ottonis I. exercitum adversus Boleslaum primò victorem exstitisse, deinde pro recenti victoriâ securius agentem, incursione repentinâ totum cæsum esse. Maximiliani deniq; I. Imp. exercitus anno Salutis CIↃ CD XC IX. victoriâ adversus Helvetios partâ, negligentius & ordinibus desertis domum rediens ab iisdem Helvetiis, qui se recollegerant, cæditur, & ita, variante Martis aleâ, uno eodemq; die uterq; exercitus & victus & victor exstitit, ut ex probatissimis eius ævi historiis in Austriaca sua retulit Gerhardus de Roo Austriacæ Familiæ præco insignis. Hanc temeritatem ab Homero quoque notatam scribit Dio Prusæus: in nobili enim illo colloquio, quod fingit intercessisse Philippo Macedoni cum Alexandro filio: de laudibus Homeri Poetarum Principis fingit Alexandrũ hæc quoq; ad Patrem eloqui: Καὶ μὲν ὅτι καὶ νικῶντας τοὺς Ἀχαιούς, καθ' ἡσυχίαν φησὶ στρατοπεδεύειν. παρὰ δὲ τοῖς Τρωσὶν ἐπειδή τι πλεονεκτεῖν ἔδοξαν, εὐθὺς εἶναι δι' ὅλης τῆς νυκτὸς

Αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων.

Ὡς καὶ τοῦτο ἱκανὸν σημεῖον ἀρετῆς ἢ κακίας, οἵτινες ἂν ἐγκρατῶς τὰς εὐτυχίας, ἢ τοὐναντίον μεθ' ὕβρεως φέρωσιν. h. e. *Quin etiã vincentes Achivos pot*


*l. 2. de Vitâ Leonis X.*

*l. XI. p. 408.*

*Oratione 2. de Regno.*

 vos pot

*per silentium ait castrametari: apud Troianos verò, si quid visi sunt superiores, ait (Homerus) statim esse per totam noctem tibiarum sonum. Clangoremq; tubarum, clamoremq; virorum. Vt & hoc sit sufficiens virtutis atq; vitii signum, si qui moderate prosperitates, contraria autem sine contumelia ferant.*



## CAPVT IIX.

### *Prædæ aviditatem in bello pestilentißimam esse.*

VErba sunt Nestoris apud Homerum prægnantia, quibus milites pugnaturos jam exhortatur:

Ω φίλοι ἥρωες Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος,
Μή τις νῦν ἐνάρων ἐπιβαλλόμενος, μετόπισθε
Μιμνέτω, ὥς κεν πλεῖστα φέρων ἐπὶ νῆας ἵκηται.
Ἀλλ᾽ ἄνδρας κτείνωμεν, ἔπειτα δὲ καὶ τὰ ἕκηλοι
Νεκροὺς ἀμπεδίον συλήσετε τεθνειῶτας.

hoc est, ut eleganter reddidit Sol superioris ævi Poëtarum Eobanus Hessus:

*Audi-*

*Audite Heroes Danai, fortissima bello (nec*
*Pectora: nemo velit vestrum terere otia do-*
*Hostes exsuviis possit spoliare jacentes,*
*Ad naves quo plura ferat, retròve remittat.*
*Quin prius urgentes occidite, linquite cæsos.*
*Post ubi parta dabit vacuū Victoria tempus,*
*Mortua tum melius spoliabitis ossa jacen-*
*tum.*

Facit enim hoc ex instituto & præceptis militaribus: Ita namq; Ruftus inter alias leges militares: *Si miles pugnæ tempore ex loco, quo constitutus erat, prosiluerit, & cadaver spoliarit, eum capite puniri jubemus, & omnia quæ ab ipso sublata fuerint auferri, & communitati Legionis dari, quum aciei ordinem ipse dissolverit & hoc modo sociis suis insidias paraverit.* Leo *1. de Appar. militari.* autem Imperator adhuc gravius: *Sæpius,* inquit, *hoc militibus tempore prælii à Ducibus est inculcandum: ne ante belli exitum, vel exploratam victoriam quemquam hostium spolient.* & Antonius Guevara legem Badagosunam *p. 3. Eplæ auream.* sive verè, sive Symbolicωs talem narrat: Qui tentaverit devictum hostem prædari vel spoliare, antequam pugna finita sit, ei barba ad cutim usque deradenda est, & præda insuper eripienda. Polybius etiam *lib. 10. Hist.* eleganter πολλοὶ δὴ τίνες κατορθώσαντες τὰς ἐπιβολὰς, καὶ ποτὲ μὲν ἐπιπεσόντες ταῖς τῶν πολεμίων παρεμβολαῖς, τότε δὲ καταλαβό-

μενοι πόλεις, οὐ μόνον ἐξέπεσον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὅλοις ἐσφάλησαν παρ' οὐδὲν ἢ διὰ τὴν τῶν πολεμίων διαρπαγήν. h. e. *Sœpe multis accidit, ut ex animi ſententia confectis quæ deſtinaverant, quum modo in hoſtium caſtra irrupiſſent, modo urbes aliquas occupaſſent, non ſolum inde extruderentur, ſed etiam totius rei fortunâ adverſâ fungerentur, cuius mali cauſſa erat nulla alia, niſi illa prædæ rapiendæ aviditas.* Declaravit hoc
l. 17. c. 9. plurimis quâ veteris qua recentioris hiſtoriæ Exemplis Scipio Admiratus in diſcurſibus ſuis eruditiſſimis ad C. Cornelium Tacitum. Addamus illis, nobile illud Exemplum pugnæ inter Chriſtianos & Turcas ad Agriam commiſſæ. De eo enim prælio verè dici poteſt, quod vel uterque exercitus fuerit victor, noſter quidem ſub principiũ, Turcarum ſub exitum: vel quod uterq; ſeſe receperit, in incerto relicto rerum ſtatu. In primo ſanè congreſſu Mahometes propriis ſuis oculis vidit exercitum ſuum diſſipatum & in fugam conjectum: ipſe de ſuâ ſalute ſollicitus, in montem quemdam in ipſo Agriæ conſpectu ſeceſſit, facie parte veſtis Mahometis, quam religionis cauſſa ſecum ferebat, præſidii ſpe & fiduciâ abſterſâ. Quanta verò noſtrorum militum virtus & in hoſte debellando fuerit audacia, non eſt obſcurum, quando minus quin-

quinquaginta millium militum (quos Franciscus Maria Vrbini Dux ad exstirpandam Turcicam Tyrannidem deposcere solebat) exercitu valentes aut instructi hostibus tamen obviam procedere & manus cum eo conserere & Exercitum, qui trecentis hominum millibus, atque adeo totius Ottomannici Imperii robore constabat, in ipsius Tyranni oculis in fugam conjicere potuerint. Sed tam præclara initia stupendamq; virtutem mox prædæ aviditas evertit, incautosq; miserabili exitio induit, ut prudenter cladem hanc describit Lazarus Soranzius, qui tandē ita rem concludit: *Ottomanni parte II Extrema.* *Vnde nemo dubitare debet, quin, si nostri minus avari, melius uniti magisq; providi, inprimis verò Duci belli fideliores & obedientiores exstitissent, victoriam splendidissimam reportaturi fuissent.* Vidit idem Julianus apud Ammianum Marcellinū, itaq; Milites suos sic compellat inter alia, ducturus eos adversus *lib. 28.* Persas: *Superest, fortissimi milites, ut aviditate rapiendi posthabitâ, quæ insidiatrix sæpe Romani militis fuit, quisq; agmini cohærens incedat, cū ad necessitatem congrediendi fuerit ventū, signa ꝓpria secuturus, sciens, quod, si remanserit usquā exsectis cruribus relinquetur:* (ubi novū genus pœnæ nota) *nihil enim præter dolos & insidias hostium vereor nimis callidorum.* Rectè verò tu

Iuliane: Est

Est enim inter dolos militares hic quoque nobilis prædam militi velut offam objicere, aut pabulum avi, quod aucupes solent, quo illecti ordines deserant & cupiditates expleant. Adscribit hoc Strategema Ia-
Lib. 2. Hist. p. 198. cobo Trivultio Ludovicus Guicciardinus, quo usus fuerit in nobili illâ fœderatorum pugnâ contra Carolum IIX. Gallum ad Tarum: *Mantuanus*, inquit, *Italicarum copiarum Imperator mandarat inter alia, ut pugnâ statim ceptâ pars una expeditorum Equitum Taro ad Foronovum transmisso in Gallorum impedimenta, quæ sive militum penuria, sive (ut fama fuit) Trivultii Callido consilio sine præsidio prædæ exposita ponè sequebantur impetum faceret.* Et sanè pessimè cesserat consi-
p. 197. lium illud Mantuani, nequiterque admodum expedivit Italis, ut prolixè commemorat ibidem is, quem sine summa laude non decet nominare, Guicciardinus. At Galli cautiores tũ multò, Guinegasti mentione facta, se ad pugnandum exhortabantur, ubi pugnantibus adversus Maximilianum primum, aviditas quadringentorum Equitum, qui, cum suis ex acie cedentibus auxilio missi essent, vel non intellecto vel neglecto periculo, dum circumducuntur, ut hostem ex latere aggrederentur, currus quosdam commeatu & impedimentis onu-

stos

ſtos, à paucis iisque inermibus cuſtoditos conſpicati, prædæ quam pugnæ avidiores, ſociorum juxta ac hoſtium obliti currus diripiunt, interim victoriam hoſti relinquere coacti ſunt, quod factum 6. Id. Aug. Anni CIↃ CD LXXIX. ut ex Guicciardino narrat Gerhardus de Rhoo Hiſtoriæ Auſtriacæ ſcribtor. *l. 9. p. 333.* Magna itaque in milite laus abſtinentiæ, quam invidendo etiam præconio tribuit Paulus Iovius Helvetiis his verbis, ubi pugnam, qua Galli ad Novariam cæſi ſunt, deſcribit: *l. XI. Hiſt.* *Ita Helvetii triplici agmine dimicantes, ſesqui horæ ſpatio & memorabile prælium & graviſſimum bellum confecerunt. Nec tamen vel tantâ hoſtium ſtrage editâ, ad prædam diſcurſum eſt: quamquam pretioſa ſupellex Ducum & cuncta opulenti exercitus impedimenta multorum animos allicerent. Viri enim patriæ diſciplinæ memores, quod neminem armatum in acie vivum capere, nec vertentem terga inſequi liceret: medio in campo confertis ordinibus in multam diem immoti conſtiterunt, ne Galli equites aut ducum aſtu, aut ſuo pudore concitati regrederentur, & ſpoliandis cadaveribus occupatos opprimerent.* Dicas, ſi nulla ſpes prædæ militi relicta ſit, quid intolerabilius erit militiæ laboribus? adeoque non de nihilo Percennius apud Tacitum ad milites: *l. 1. Annal.* *Enimverò militiam*

*ipſam*

*ipsam gravem, infructuosam. denis in diem assibus animam & corpus æstimari, hinc vestem, arma tentoria, hinc sævitiam centurionum & vacationes munerum redimi. tricena sic aut quadragena stipendia senes & plerosq; truncato ex vulneribus corpore tolerare: ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum retentos, alio vocabulo, eosdem labores perferre: quos casus omnes si quis vitâ superaverit: trahi adhuc in diversas terras, ubi per agrorum nomen, uligines paludum vel inculta montium accipiant.* Non diffiteor justas habere milites caussas tergiversandi, si spes omnis prædæ ademta illis sit: verũ aliter olim Romani consuere, qui prædam & cotem & præmium virtutis prudenter censuerunt. Sed certo modo distribui voluerunt & sine metu aut periculo.

*Lib. 10. Hist.* Modum illum aperit Polybius his verbis: Πάντες, inquit, οἱ πρὸς τὴν ἁρπαγὴν ἀπομερισθέντες, ἀναφέρουσι τὰς ὠφελείας ἕκαστοι τοῖς ἑαυτῶν στρατοπέδοις, κἄπειτα πραθέντων τούτων, οἱ χιλίαρχοι διανέμουσι πᾶσιν ἴσον: οὐ μόνον τοῖς μείνασιν ἐν ταῖς ἐφεδρείαις, ἀλλὰ καὶ τοῖς τὰς σκηνὰς φυλάττουσι, τοῖς τε ἀρρωστοῦσι, καὶ τοῖς ἐπί τινα λειτουργίαν ἀπεσταλμένοις. Λοιπὸν ὅταν οἱ μὲν ἡμίσεις τράπωνται πρὸς τὰς ἁρπαγάς, οἱ δὲ ἡμίσεις διαφυλάττοντες τὰς τάξεις ἐφεδρεύωσι τούτοις, οὐδέποτε κινδυνεύει Ῥωμαίοις τὰ ὅλα διὰ πλεονεξίαν. Τῆς γὰρ

ἐλπί-

ἐλπίδος τῆς κατὰ τὴν ὠφέλειαν οὐκ ἀπιστουμένης ἀλλήλοις ἀλλ' ἑστηκύας ἐπὶ τοῖς μένουσι κατὰ τὰς ἐφεδρείας καὶ τοῖς διαρπάζουσιν, οὐδεὶς ἀπολείπει τὰς τάξεις, ὃ μάλιστα τοὺς ἄλλους εἴωθε βλάπτειν. hoc est, *Omnes qui ad diripiendam prædam apud Romanos sunt destinati, eam universam ad suas quisque legiones referunt; quâ venditâ, Tribuni deinde æquis portionibus inter omnes pecuniam dividunt: & habetur ratio non eorum tantum, qui in subsidiis manserunt: sed & illorum, qui tentoria custodierunt: item ægrotorum, & si qui ad muneris alicuius curationem aliò fuerint missi: Atque hoc quidem modo cum dimidia pars prædæ intendat, dimidia servatis ordinibus præsto sit in subsidium diripientibus: numquam accidit, ut propter cupiditatem lucri in discrimen rerum omnium Romani perveniant. Quoniam enim de consequendâ præda non diffidunt sibi invicem, sed spem certam habent ac stabilem, æquam eius portionem habituros & eos, qui in subsidiis manserint & eos, qui prædati fuerint, nemo ordines deserit, quæ res sæpe alias noxam parere consuevit.* Hæc prudenter Romani: quæ hodiè pessimo publico negligi solent, tantum enim abest, ut prædæ portio ad militem perveniat, ut ne stipendium quidem illis menstruũ, quo vitam & sanguinẽ vendunt, ad-

adnumeretur: unde duo incommoda in Germaniam invecta ſunt, unum, ut optimi quique, & fortiſſimi militiam averſentur, ſectentur ſolùm ardeliones & homines nihili, quique militiam ignaviæ & libidinis caſtra eſſe cenſent: alterum, quod ex hoc priori neceſſe eſt ſequi, ut raro vincamus, adeoque de prædâ partienda inutilis penè apud nos ſit diſputatio, quippe cum ipſi Turcis, Hiſpanis & neſcio quibus populis prædæ ſimus, quorum majores ne vultum quidem majorum noſtrorum inconnivis oculis ferre potuerunt, uſque adeo fœdè & miſerè degeneravimus non â libertate tantum, ſed â ſervitute etiam, ut graviſſimè loquitur Scribtor Romanus, quippe qui non tantum, quid ultimum in libertate eſſet vidimus, ſed & quid in ſervitute, grande hoc & pudendum patientiæ documentum, cum æternâ infamiâ ad poſteros tranſmittentes, qui nos ex juſtiſſimis cauſſis ignorabunt, &, quantum in ſe erit, memoriam etiam noſtram abolebunt, ut indigniſſimorum Germanæ Virtutis decoctorum.

Caput



# CAPVT IX.

## *Deditionis jura & Exempla quædam. Tributorum etiam impositiones rariores.*

REctè Vocula apud Tacitum: Esse ali- *4. Hist. c. 57.*
quod fas armorum & jus hostium, *Videatur huc*
quod juri communi repugnet. Illud tamen *insignis Oratio*
humanitati datum arbitramur, quod in de- *tio Nicolaï*
ditītios mitius semper consuli debere vi- *Syracusani*
sum melioribus est, quam in bello captos. *ap. Diod. Siculum l. 13.*
Testatur hoc Flavius Arminii frater apud *l. 2. Annal.*
Tacitum, qui fratri commendat in dedi- *c. 10.*
tionem venienti paratam clementiam, vi-
cto graves pœnas. Thrax item Dinis apud
eumdem vim atq; clementiam Romanam
edoctus, ponenda arma, idque unum affli- *4. Ann. c. 50.*
ctis remedium disserebat, levius videlicet
servitium apud Romanos deditis quam ca-
ptis esse intelligens. Obtinuit autem hæc *15. Ann. c. 1.*
humanitas tum, si deditītios facti pœnite-
ret, sique alia omnia victoris arbitrio per-
mitterent, nihilque eorum, quæ peteban-
tur, abnuerent. Docent hoc Angrivarii
apud eumdem Tacitum: in quos jam bel- *2. Ann. c. 22.*

lum Stertinius mandatu Germanici moturus erat, nî deditionem illi properavissent, supplices enim, inquit, nihil abnuendo, veniam omnium accepere. Durius habiti sunt, si contumacia præcessisset aut perfidia, quibus quamquã extremè supplicibus, nec venia statim data, nec pœna omnis remissa. Exemplo sint Mediolanenses, qui cum multis modis & sœpius Fridericum Barbarossam Imperatorem irritassent. Augustam etiam infando dehonestamenti genere violassent, quamquam extremâ deditionis specie supplices vix iratum & offensum Principem placare potuerunt. Historiam eleganter describit & fideliter Dubravius his verbis: *Mediolanenses paullatim malis fatigati, remittere animos, redire ad sanitatis & officii rationem, salutisq; magis tamdem ducere, quam frustra contra stimulum jactare calces. Sed obsistebat vehementer pacis actionibus Gualvaginus Angleriæ Comes Capitaneus urbis quem cum de Senatus auctoritate Guido Blatteranus ætate gravis venerabilisq; Senator, accommodatâ tempori oratione, flexisset, ut se in potestate Senatus fore, sive pacem sive bellum decerneret, promitteret: in hoc tantum hærebat Senatus, utrum magis in rem conduceret: ad Cæsarémne statim legatos mittere, an potius de precu-*

Hist. Brojem. l. 12. p. 98.

Guntherus Blandratensem nominat.

*precatorem prius aliquem ad illum ablegare, qui ex feroci mitiorem faceret. Visumq; hoc potius, & ad eam rem appositissimus Vladislaus Bohemiæ Rex, quem missis quatuor è Senatu Legatis orant, ut in gratiâ Cæsaris eos reponat. Facit id optimus Rex &, aliorum Principum accedente suffragio, impetrat certis conditionibus & tolerabilibus, quod orabat. Quo facto, duodecim Urbis senatores primarii pœnitentium habitu saccis induti, pedibus nudi, mœrore obscuri: facie & barbis squallidi, strictosq; singuli enses collo suo succollantes, quasi statim decollandi, ante Cæsarem procubuere, collaq; velut ad ictum sustulere, diuq; sic adgeniculati prostratiq; jacuere, antequam Cæsar claveis portarum Urbis, per quas sui, urbisq; plenam ei possessionem offerebant, ab illis reciperet.* Guntherus addit etiam præsules unâ venisse in castra, quod & Radevicus & Vrspergensis narrant: sed sufficiat versus Guntheri cognoscere. *l. 8. v. 241.*

*Quas postquam leges & spe leviora rebellis*
*Iamdudum populus gratanter pacta recepit:*
*Continuò totis effusi mœnibus omnes*
*Procedunt: primusq; suo cum præside clerus*
*Veste sacrâ nitidus, nudo pede, supplice vultu,*
*Vertice demisso, nostræ monimenta salutis*
*Signa crucis præfert : pòst hinc in vellere pullo*

*Infausti cives, vestigia nuda prementes*
*Judiciumq; sui pariter, pœnamq; reatus*
*Admotos nudis portant cervicibus enses.*
*Et primi illorum prostrati corpore toto*
*Cæsaris ante pedes, trepidis confusa querelis*
*Pauca gemunt, veniamq; suis excessibus orant,*
*Hoc tantum: veniamq; sonant, veniamq; loquuntur.*

Sic, ferocia domitâ, jugum quod toties excusserant, ultrò subiere. Non levius fatum Caletensium fuit apud Frossardum: nam & illi nudi caput & pedes, laqueum collo & claves oppidi manib⁹ ferentes Anglis se dedere coacti sunt, post migrare jussi Anglicæ familiæ Caletum quæ incoleret, introductæ sunt. De Pisanis Vbertus Folieta ex Raph. Volaterrano, Tarcaniotâ & Leandro Alberti refert, iis â Genuensibus anno Salutis CIↃ C XXIX. obsessis, cum superbius initio restitissent, tamdem ad extrema adactis eam necessitatem expressam, ut non solum humiliter sese dederent, sed & alias contumeliosas conditiones acciperent, summis insuper ædium fastigiis usq; ad primam contignationem dejectis. Quod quam fœdum & dolendum illis acciderit, vel ex eo æstimari potest: quod Alexander magnus, cum Hephæstionis mortem supra mor-

*lib. 1.*

*lib. 1. Hist. Genuens.*

mortem lugeret, injectis in rogum armis, auro argento & veste Persica pretiosâ, seipsum & fortissimos quosque radens, inter alia auctus immodici signa pinnaculo civitatibus demsit, ut ex Æliano & aliis narrat Zonaras: Non minus grave iisdem Pisanis accidit, quod pòst Cunradus Concessius Brixianus Prætor Genuensis in eos statuit. Capta enim triremi Pisanâ minoris formæ Genuam reversus, in terram eam subduci jussit, & signa Pisana cruore oblita ad ignominiam Vrbis per terram Syrmatis instar trahi, ut refert idem Folieta: Sed & ipsa Genua ignominiosè satis postea â Carolo V. habita est: Redacta enim eâ in potestatem Genuensibus supplicii loco hæc edixit: Ut fœminæ viros præcedant, cristasque gestent virgines & variegatis coloribus utantur: viri contrà pulli & atrati incedant, dextram semper uxoribus relinquentes: destruxit & omnia propugnacula & in Castelli locum, Castellaccio dictum, patibulum exstrui mandavit. De Leodiensibus Annales Flandriæ referunt, cum diu Carolo Burgundo rebellassent, tamdem ad deditionem eos compulsos, & CCCXXII^os in vestibus interioribus sine calceamentis discinctos nudisque capitibus oppido prodiisse, atque ad Ducis Caroli genua procu-

*lib. 7.*

*1. Annal.*

*lib. 4. Hist. Gen.*

*Majerus lib. 17. Ann. Fland.*

buiſſe, coramque Legatis Regis Franciæ, Angliæ, Britanniæ & Biturigum miſericordiam eius imploraſſe & ſolam pactos ſalutem, reliqua omnia Ducis arbitrio ſubmiſiſſe: Ducem autem decem ſolum fœdifragorum ſupplicio ſatiatum, ut rebellio tamen ipſis teſtatior eſſet, urbem portis mœnibusque nudaſſe, foſſasque repleviſſe, ut ſic quoque rebellandi deinceps anſam atq; occaſionem præcideret. Facta eſt hæc deditio anno CIↃ CCCC LXVII. 3. Id. Nov. Poſtea Dux urbem ingreſſus eſt, ut victor ſplendore ac pompâ ſuperbus, nudum manu tenens gladium, indutus paludamentum adeò pretioſum propter unionum gemmarumque, quibus diſtinctum erat, multitudinem, ut vix æſtimari poſſet, durabatque ille ingreſſus ab hora nona antemeridianâ, ad quartã uſq; pomeridianam, prorſus triumfalis. Stabat ad ingredientis latera utrimque populus apertis capitibus, ardentes tenens cereos, omnesq; tam mulieres cum pueris, quam viri ſignati pectora crucibus Burgundicis. Suſtulit deinde Peronam Carolus, fuſilem ex orichalco columnam, in argumentum libertatis in foro erectam, miſitque Brugas, ac ſuper Byrſam, quo nationes omnium conveniunt

veniunt

veniunt mercatorum, statuit trophęum suæ victoriæ, incisis his versibus:

*Desine sublimes vultus attollere in auras,*
*Disce meo casu perpetuum esse nihil.*
*Nobilitatis ego Leodis venerabile signum*
*Gentis & invictæ gloria nuper eram:*
*Sum modo spectaclum ridentis turpe popelli,*
*Et testor* CAROLI *me cecidisse manu.*

Præter has verò ignominiæ notas interdum tributa quoque deditis imposita reperio, quæ non tam locupletarent victores, quam servitutem deditiorum ostenderent. Sic Drusus Frisiis apud Tacitum tributi loco coria boum imposuit in usus militares, quod tributum ibi historicus modicum vocat. Apud Mamertinum Dalmatis Equi tributi loco impositi. Sardis Genuenses imposuerant tributum casei, quantum plaustrum boum trahit, quod ipsi quotannis pendebant Genuensibus die festo Resurrectioni salvatoris: Præter caseos mercatores Sardi iisdem Genuensibus commerciorum caussâ annuatim pendebant vectigal scuti pane onusti, ac duorum vasorum vitreorum piperis plenorum, duorumq; vini cadorũ, quod & regni

4. *Annal.*

*In Paneg. Iuliano dicto.*

Neapolitani negotiatores Sardiniam commerciorum caussâ adeuntes facere coacti sunt, atque exinde Genuensium Legatus Vbertus Spinula jus suæ Reip. in insulam Sardiniam probat apud Vbertum Folietam. Bonfinius scribit, Venetos Forojuliensibus quotannis duodenos porcos totidemque panes tributi loco indixisse. Dynastæ Gerbensi â Ioh. Cerda Imperatore Philippi Hispani tributi loco adsignati quod quotannis penderet, Camelus unus, Struthiocameli IV. falcones IV. Nebienseis, Gazelæ item quatuor. Et quis omnia talia enumeret, quæ passim apud Historicos in hanc rem leguntur?

*lib. 2. Hist. Genuens.* — *Dec. 2. l. 6.* — *Thuan. l. 26.*



## CAPVT X.

### *Iura Belli, quatenus memoriâ teneri possunt, breviter commemorata.*

DIximus initio superioris capitis esse jus quoddam belli & fas armorum, quod juri communi repugnet. Est enim jus belli pars juris gentium, unde controversias bellicas, qui vel civili vel aliàs populi ali-

alicuius publico jure dijudicare velit, is ἀπαιδευσίας τῶν Αναλυτικῶν argui jure possit. Quæ res ut fiat clarior, colligam in hoc caput jura quædam belli, ut tota hæc decas sit militaris. Quamquam autem hæc materia â summis viris totis libris est tractata: ego tamen hic digitum solum in fontes intendam & illa ad quatuor principalia capita referam. Primum erit inter quos sit bellum: II. Quæ caussæ III. Quomodo gerendum. IV. Quomodo finiendum. Primum quod attinet: Bellum dictum volunt Grammatici, quasi duellum, quod sit inter duos pares justa contentio. Paritas illa docet inter quos sit bellum, nimirum inter Principes populosve liberos. Hi enim sunt pares, & fieri ꝓpriè possunt hostes: Non igitur primò bellum gerere possunt privati sine publico scitu, quia non sui juris, sed sub potestate Magistratus, itaque capitale hoc illis esse, si attentaverint, Plato voluit, Romani majestatis lœsæ postularunt. Non est etiam bellum II. cum Latronibus prædonibus aut piratis, quamquam magnos habeant exercitus, & proinde nec ulla cum iis belli jura, ne sanctissimum quidem illud Legationis, quod jus Gentium tamen inviolabile inter omnes esse voluit. Non deniq;

bellum eſt cum rebellibus, aut fugitivis, in quos etiam ſi jura belli non valeant, ſibi imputare debent. Sequitur alterum caput de cauſis belli, quas juſtas eſſe oportet: Eſt enim bellum juſta contentio. Iuſtitia autem cauſſarum belli in tribus potiſſimum conſiſtere videtur: Primùm ſi dubitatio ſit de jure partium, & aliâ ratione decidi nequeat: Omnia enim prius tentanda ſunt, ante quam ad arma deveniatur. II. Si prohibeamur commodis noſtris ſine ullâ cauſsâ: verbi gratia commerciis, agro, mari, portubus, maximè ubi caverimus de damno: quo pertinet, ſi itinere prohibeamur & viâ in alios arma ferentes, caventes de maleficio. III. Si injuria gravis aut metus nos cogat ad bellum gerendum. Vim enim vi repellere licuit ſemper & licebit ſemper: metus quoque juſtus juſtum facit bellum, ſi videlicet prius arma moveas, ne prior opprimaris: ſi item ſocium defendas, quo oppreſſo tibi ruinam etiam impendere videas, aut ſi confœderatum contra vim tuearis, metu perfidiæ aut deſertionis. Inprimis autem metus amittendæ religionis, quam veram cenſes, juſta belli cauſſa eſt: Ut enim religionem tuearis, DEUS imperat: ſemper autem illud belli genus juſtum eſt, inquit Auguſtinus,

quod

quod Deus imperat. Atque hæc paucis de caussis belli. Sequitur tertium caput, de justâ ratione gerendi belli. In quo capite primum venit notanda belli indictio. Quia enim bellum esse debet justa contentio, non solum caussæ belli gerendi debent esse justæ, sed & ipsum justè geri. Indici igitur primum hosti bellum debet, si nullum amicitiæ aut fœderis ante vinculũ inter eos fuit: hoc enim casu prius renunciandum publicè amicitiæ & fœderi. Ante indictionem item belli petenda est satisfactio de injuriis & res repetendę, quas ablatas nobis censemus. Fiebat hoc Romæ per clarigationem aut Legatos: si nihil impetrabatur, renunciabatur amicitiæ & fœderi, si quod intercesserat, tandem bellum indicebatur, ut justa esset contentio: hoc est, ut pararetur plenus & perfectus quidam utrimq; armorum apparatus, incursiones enim illæ clandestinę aut violentæ non sunt bellum sed latrocinia & deprædationes. Jura igitur belli non valent adversum eum qui non indicto bello nos aggreditur, & adversus talem licet, quod nullo prorsus alias jure permissum est. Neque verò statim & ê vestigio, postquam bellum indictum est, hostilia facienda sunt, sed post intervallum demum, intra quod hostis para-

parare se quoque possit, quod olim apud Romanos fuit triginta dierum & trium, hodiernâ consuetudine menstruum. Iustè hoc modo bello indicto, justè quoque gerendum est, & fortiter, ut apud Livium ait Furius Camillus: Primum igitur dolus abesse debet ac deceptio in pactis & ut JCtorum verbo utar, omnis cavillatio quæ & timidum & proditorium arguit animum : De Strategematis & ratione fallendi hostem alia ratio, quæ licita semper & permissa, quamquam magnanimis & generosis Ducibus numquam placuere etiam illæ κλοπαὶ τῶν πολέμων, ut vel ex Alexandri Magni responso constat. Et armatos vincere atq; in acie stantes Romanis semper visum pulchrum. II. Non utendum est in hostem venenis, inficiendo puteos, illinendo arma & sagittas, venenatis item bestiis in hostem utendo & serpentibus, quibus Hannibal usus adversus Eumenem regem: Adreni adversus Severum Imp. Rationes adferuntur huius rei variæ. I. Non est sic justa contentio, adversus enim venena nihil valent arma II. Quia bella vi geri debent & apertè. Venena clandestinò nocent, & nulla contra ea vis humana valet. III. Quia nec sontes veneno necare licet l. 8. §. 1. ff. de Pœnis, multo igitur minus justum hostem.

hostem. IV. Quia ipsa bruta abstinent tali nocendi genere, contenta naturalibus armis: in quam rem graviter Plinius: *seruit venena tellus & genuit, sed quis invenit illa præter hominem? cavere ac refugere alitibus ferisq; satis est: Atq; cum arbore exacuant limentq; cornua Elephanti, & saxo Rhinocerotes, & utroq; apri dentium sicas, sciantq; ad nocendum se præparare animalia: quod tamen earum tela sua, excepto homine, venenis tingit? Nos & sagittas ungimus, ac ferro ipso nocentius aliquid damus. Nos & flumina inficimus & rerum naturæ Elementa, ipsum quoq; quo vivitur, aerem in perniciem vertimus.* V. Quod Barbarorum solum hic quondam mos, & ab omni humanitate alienorum. III. Contra justitiam quoq; belli est proditoriè Ducem hostiũ perimere, quâ de re jam suprà milites ejusdem pecuniâ corrumpere, urbesve proditione meriari: hoc enim Ennius pater cauponari bellum dixit non belligerari: sicut nec doli Zopyriani & simulata transfugia cordatis probari potuerunt, quamquam dissentiente magno Rege, qui tot Zopyros sibi optabat, quod baccas pomum Granatense haberet. Scrutari autem res per transfugas & speculatores, consiliaque adversæ partis & licuit semper, & dein-

*l. 18. c. 1.*

*Livius Dec. 2.*

deinceps quoque licebit. Denique induciæ pactæ si fuerint, sanctè servandæ sunt, neque quidquam earum tempore moliendum, quod vel officiat hosti, vel quoquomodo conditionem eius reddat deteriorē: Induciæ enim nihil sunt & esse debent nisi feriæ belli. Atque hæc paucis dicta sufficiant de tertio capite, ratione justè gerendi belli. Videamus ad extremum etiam quædam de ratione finiendi belli: quæ ad victorem maximè spectant. Victor igitur vel deditos habet hostes vel exarmatos & vi sub jugum missos. In deditos sævire non debet, quia supplices facti sunt: in supplices autem rigorem nulla jura permittunt. Si metus sit â multitudine dedititiorum, sic ut tuto conservari posse non videantur: vel non acceptetur deditio, ut in bello captos sæviri jure belli
12. Ann. c. 17. possit, exemplo Romanorum adversus Vspenses: de quibus Tacitus: *Postero die Vspenses misere legatos, veniam liberis corporibus orantes: servitii decem millia offerebant, quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos sævum, tantam multitudinem custodia cingere arduum, ut belli potius jure caderent. Datumque militibus, qui scalis evaserant signum cædis:* vel, *quod humanius, dispergantur in diversas & longè ab invicem dissitas colonias.* Quod


si vi-

ſi victor vi ſub jugum hoſtem miſerit, jura
belli conſtituunt primum eum omnium
rerum hoſtilium Dominum : Ita enim *lib. 7. Cyri*
Cyrus apud Xenophontem : Νόμος γὰρ *pæd.*
ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστιν, ὅταν πολε-
μούντων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι καὶ τὰ
σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει καὶ τὰ χρήματα. cui
per omnia adſentitur Ariſtoteles in Politi-
cis : De corporibus duo ſtatuere poteſt *lib. 1.*
victor : necare videlicet vel in ſervitu-
tem abducere. Atque illud quidem victis
honeſtius erat : unde Joſepho Judæorum
Duci apud Flavium Ioſephum Hiſtoricum *l. 3. c. 25.*
καλὸν δοκεῖ ἐν πολέμῳ θνήσκειν πολέμου
νόμῳ, τοῦτ᾽ ἔστιν ὑπὸ τῶν κρατούντων.
Et certè ſervitus perpetuâ morte miſera-
bilior videtur. Sub ſervitute nolim liben-
ter comprehendere morem Romanum,
quo victos deſtinabant ludis & ſpectaculis.
quomodo Probus Imperator Germanos &
Blemyos, qui ex illis trecenta gladiatorum
populo edidit. Fœdum enim hoc & infa-
me genus mortis eſt, nec jure belli compro-
batum. Neque factum etiam hac ſervitutis
ſpecie Sicyoniorum excuſare liceat, qui
captâ Pellene urbe uxores filiasque Pel-
lenenſium in lupanari proſtituerunt, quod
exemplum ne barbari quidem & efferi
ulli

ulli homines aut antea dederant, aut postea secuti sunt. Rectè igitur judicat Ælianus de hoc eorum facto post eiusdem narrationem : Ἀγριώτατα ταῦτα, ὦ θεοὶ ἑλλήνιοι, καὶ οὐδὲ ἐν βαρβάροις καλά, κατά γε τὴν ἐμὴν μνείαν. Quid enim : cum armatis nobis bellum est, non cum sexu inermi hoc est fœminis & pueris, quibus omninò parcendum, nisi sumant arma & beneficium sexui debitum malitiâ & spontaneâ insaniâ amissum eant. Omnium verò pulcherrimum Victoriæ suæ fructum percipiet victor, si ita in victos agat, ut & nocere ultrà non possint, & ut nocere ultrâ nolint : immò ut doleant se non citius victos esse : sic enim bellum laudabiliter & cum æternâ suâ gloriâ concludet.

Atque hæc in genere de jure belli sufficiant.

De:



# DECADIS XI.

## Observationum Historico-Politicarum.

## CAPUT I.

### *Unde multæ superstitiosæ & ineptæ de DEO opiniones inprimis autem illa Gentilium πολυθεία orta sit.*

Eleganter & eruditè disputat Dio Chrysostomus in Olympicâ suâ sive de DEI, cognitione, Oratione adversus Gentiles: repræhendens eos: quod convenirent è dissitis admodum locis, spectatum tantum certamina, & auditum sacram tubam atq; beata ista præconia: quod hic quidem inter pueros luctâ vicerit, ille autem inter viros cæstu, alius autem pancratio, alius pentathlo, alius stadio ex uno penè passu beatitudinem adeptus: interim de Jove Olympio, cuius ibi aræ & sacra atque imago exquisitissima, parum solliciti essent, omnia potius inconvenientia & tali numini indeco- *Oratio. XII.*

ra ſentirent, ſic quidem, ut minus ipſi Diisque concederent aliis, quam pueris, qui rotas, cum prius ipſi moverint, tumdemum ſinunt â ſeipſis currere; cum vniverſa hæc conſilio & ſapientiâ & domino carere, nullumque habere vel ἄρχοντα vel ταμίαν vel ἐπιστάτην adſerant, ſed omnia & caſu facta, & temere ferri, ſine omni providentiâ, dicant. Tamdem impiæ huius præſumtionis cauſſas indagat, easque â tribus fontibus deducit primariis, quorum primus inſitus & innatus nobis videtur, duo alii extrinſecus adfluunt, & illum primum locupletant veluti & augent. Inſitus fons eſt perſuaſio noſtra & opinio, quam de DEO aut Diis concipimus ipſi ex eorum operibus: Cum enim videmus quædam vi ſuperiore fieri, cum cibos ex terrâ nobis provenire, cum temporum viciſſitudines animadvertimus, cum tot plantas, tot fructus & eſui & morbis tollendis utiles experimur: eſſe Deos inviti credere cogimur. Cum porrò exemplis edocemur, bonis male, malis benè hic eſſe, atque omnia retrò ſublabſa referri, delabimur in eam opinionem, ut vel prorſus negemus eſſe Deos, vel certè otioſos agere arbitremur, neque rerum humanarum curam ullam habere judicemus. Teſtantur hoc multis immò

mò infinitis locis Poëtæ: Accius Antigonâ: Jam jam neque DI regunt, nec profectò Deûm summus Rex omnia curat. Varro apud interpretem Persî pseudocornutum:

*Marmareo Licinus tumulo jacet, at Cato par*
*Pompeius nullo, creditis esse Deos? (vo,*

Ovidius etiam:

*Dum rapiunt mala fata bonos, ignoscite fasso,* l. 3. Eleg. 8. Am.
*Sollicitor nullos esse putare Deos?*

& Lucanus: lib. 7.

*——— Sunt nobis nulla profectò*
*Numina: cum cæco rapiantur singula casu,*
*Mentimur regnare Iovem.*

Seneca etiam Tragicus Iasonem ita alloqui fingit Medeam gemino parricidio adhuc sanguinolentam:

*Per alta vade spatia sublimi ætheris,* Medeæ versibus extremis
*Testare, nullos esse, quâ veheris, Deos.*

Idem Octaviâ:

*Nullũ pietas nunc numen habet,* v. 903.
*Nec sunt superi, regnat mundo*
*Tristis Erynnis.*

Omnium autem nervosissimè & apertissimè Claudianus: l. 1. in Ruff.

*Sœpe mihi dubiam traxit sententia mentem*
*Curarent Superi terras? an nullus inesset*
*Rector & incerto fluerent mortalia casu.*
*Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi*

*Præscriptosq; mari fineis, anniq; meatus,*
*Et lucis noctisq; vices tunc omnia rebar*
*Consilio firmata DEI, qui lege moveri*
*Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,*
*Qui variam Phœben alieno jusserit igne*
*Compleri, solemq; suo: porrexerit undis*
*Littora: tellurem medio libraverit axe.*
*Sed cum res hominum tantâ caligine volvi*
*Adspicerem, lætosq; diu florere nocentes,*
*Vexariq; pios: rursus labefacta cadebat*
*Relligio, caussæq; viam non sponte sequebar*
*Alterius, vacuo qui currere semina motu*
*Affirmat, magnumq; novas per inane figuras*
*Fortunâ non arte regi: quæ numina sensu*
*Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.*

Neque verò Poetæ solum ita censuere sed & alii, quorum opiniones commemorant & reprehendunt Isidorus Pelusiota, Lactantius, Minutius Felix. Seneca item, Theodoretus & alii. Quid quod Psaltes Regius conqueritur alicubi, se penè in eumdem errorem prolabsum & ita etiam cum impiis desipere cepisse, quem errorem suum ibi loci deflet, & DEO suo gratias agit, quod clementer & benignè eum in semitam veritatis reduxerit. Atque hic unus est fons pravarum de DEO opinionum. Alter à Legislatoribus est & Rerumpublicarum for-

*l. 2. Ep. 137.* *l. 3. c. 17. &* *lib. 7. c. 9.* *in Octavio.* *Ps. 73.*

formatoribus antiquis, qui nullum fortius retinendi in officio populi vinculum esse existimabant, quam si superstitione eos attinerent constrictos. Multitudo enim, inquit alicubi Curtius, quæ læva impotens & mutabilis, ubi vanâ relligione capta est, melius suis sacerdotibus paret, quam Ducibus Regibusque. Fecit hoc studiosè Numa, qui Romam simulato cum Egeriâ nymfâ colloquio, & aliis superstitionibus replevit, additâ caussa: Deorum metum injectum, rem ad multitudinem imperitam & illis temporibus rudem efficacissimam esse. Polybius sanè, quod mireris, laudat ex hac caussâ Romanos: Μεγίστην, inquit, δοκεῖ μοι διαφορὰν ἔχειν τὸ Ῥωμαίων πολίτευμα πρὸς τὸ βέλτιον ἐν τῇ περὶ θεῶν διαλήψει. Καί μοι δοκεῖ τὸ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὀνειδιζόμενον τοῦτο συνέχειν τὰ Ῥωμαίων πράγματα. λέγω δὲ τὴν δεισιδαιμονίαν. ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ ἐκτετραγῴδηται καὶ παρεισῆκται τοῦτο τὸ μέρος παρ' αὐτοῖς, εἴς τε τοὺς κατ' ἰδίαν βίους, καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως, ὥστε μὴ καταλιπεῖν ὑπερβολήν, ἐμοί γε μὴν δοκοῦσι τοῦ πλήθους χάριν τοῦτο πεποιηκέναι: πᾶν γὰρ πλῆθός ἐστι ἐλαφρὸν καὶ πλῆρες ἐπιθυμιῶν παρανόμων, ὀργῆς ἀλόγου, θυμοῦ βιαίου. λείπεται τοῖς ἀδήλοις φόβοις, καὶ τῇ τοιαύτῃ τραγῳδίᾳ τὰ πλήθη συνέχειν. *Nulla re æquè*

*præstare cæteris populis Romanos arbitror, ac opinione illâ, quam de Diis habent. Atq; adeo, quæ res apud reliquos mortales vitio vertitur, ea ipsa continet Romanam Rempublicam: superstitionem dico. Usq; enim eò apud hos superstitio in maius est exaggerata, & cum in privatam hominum vitam, tum in publica consilia inducta, ut non queat magis. Quod equidem multitudinis caussâ factum ab illis existimo, quæ cum sit levis, plena illicitarum cupiditatum, irâ æstu & præcipiti, & ad vim iracundiâ propellatur, hoc restat, ut interno veluti terrore & hac superstitionis tragœdiâ, cohibeatur:* Hæc & multa alia insignia ibi Polybius quæ erudite expendêre Macchiauellus in Discursibus ad Livium, & Justus Lipsius in monitis politicis. Romanis parum hac in re concessere Græci, ut docent Exempla Solonis & Lycurgi, quos tamen omnes, sicut & gentes in universum alias quavis vanâ & stulta superstitione anteivere Ægyptii, neq; enim ad homines aut ad mortuos modo Deorum cultum Isidem, Serapim, Anubim; sed ad bestias quoq; vilissimas transtulerunt: puta Canes, Ichneumones, Feles, Accipitres, Ibides, Lupos, Crocodilos, qua caussa Apollonius eos sallè exagitat apud Philostratũ. Quid Diabolicus impostor Mahometes egerit, quibus artibus potentiam suam sibi

*l. 1. c. XI. & XII.*

*lib. 1. c. 3.*

stru-

ſtruxerit, notius eſt, quam ut narrari debeat. Cupientes autem harum rerũ ad Lipſiũ remitto. Atq; hic alter eſt fons deceptionum & vanitatum. Sequitur tertius qui ſcaturit ex duplici genere hominum, Poëtis & Pictoribus: De quibus veriſſimè Poeta:

*——— Pictoribus atq; Poetis*
*Fingere quidq; licet.*

*Pictoribus atq; Poetis Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas, Horat.*

Ac ſanè quantum Poetæ circa πολυθεΐαν fecerint, arguunt fabulæ illorum de Diis, exceptæ â Mythologicis tamquam Oracula, & miſero deinde popello commendatæ. Vide omninò, quæ Ovidius ſuper hac re habet 3. Amor. El. XI. Ad Pictores pertinent & ſtatuarii & lapicidæ & omnes eius generis qui Divinæ naturæ ſimulachra factitare præſumunt, Flatores videlicet æris & aliorum metallorum: Fuêre tales Phidias & Alcamenes & Polycletus, Aglaophon & Polygnotus, Zeuxis item & ante hos omnes Dædalus: Hi vel umbratili picturâ μάλα ἀσθενεῖ καὶ ἀπατηλῇ πρὸς ὄψιν χρωμάτων μίξει, vel λίθων γλυφαῖς, vel ξοάνων ἐργασίαις, vel χωνείᾳ χαλκοῦ καὶ τῶν ὁμοίων, ὅσα τίμια, διὰ πυρὸς ἐλαθέντων, ἢ ῥυέντων ἐπὶ τίνας τύπους, vel denique κηροῦ πλάσει ῥᾷστα ξυνακολουθοῦντος τῇ τέχνῃ καὶ πλεῖστον ἐπιδεχομένου τὸ τῆς μετανοίας, hoc eſt

*Verba Dionis.*

valde tenui fallacique ad visum colorum mixturâ, vel lapidum sculpturis, vel statuarum excisionibus, vel arte conflatoriâ æris & similium pretiosorum per ignem ductorum, aut fluentium in quasdam formas: vel denique ceræ formationibus, quæ facillimè artem sequitur, facilemque locum dat pœnitentiæ τὸ θεῖον repræsentarunt multâque & variâ de divina natura opinione homines infatuarunt, Poetarum veluti succenturiati, qui partim mendacia eorum quasi audire non sufficeret, videnda exhibuerunt, partim de suo auxerunt & cumularunt homines verè γόητες & τερατευόμενοι, & populum sui similem nacti facile eidem, quæ voluere, persuaserunt. Atque hoc Josephum non latuit, cuius verba sunt

*Secundo contra Appionē.* de πολυθεΐα loquentis : πολλῆς δὲ καὶ ζωγράφοι καὶ πλάσται τῆς εἰς τοῦτο παρὰ τῶν Ἑλλήνων ἀπήλαυσαν ἐξουσίας, αὐτὸς ἕκαστός τινα μορφὴν ἐπινοῶν, ὁ μὲν ἐκ πηλοῦ πλάττων, ὁ δὲ γράφων. Memorabile est, quod de Diogneto Magistro suo in arte pictoriâ scribit Marcus Antoninus Philosophus Imp. didicisse se ab eo τὸ ἀκενόσπουδον, hoc est, ne vana pro seriis amplecteretur, falsa per veris, quibus verbis prorsus id, de quo nos agimus, eum intelligere Casaubonus noster ὁ μακαρίτης censuit : *nemini*, inquit,

*potius*

*potius quam pictori hujus* πλάνης *agnitio conveniebat : norat videlicet pleraq; eorum quæ de Diis crederentur vulgo, ad libidinem pictorum inventa primò : ridiculè postea fidē invenisse apud homines, quâ superstitiosos, quâ veritatis incuriosos. Nam quid illud esse dicamus aliud nisi Veritatis incuriam: Solebant olim statuarii statuis à se effigiatis & edolatis imponere tegulas quasdam, quos Græci* μηνίσκους *appellabant, ut videre est apud Aristophanem, ne ab avibus conspurcarentur, cujus rei caussam pictores ignorantes, putarunt honoris caussa imponi debere, itaq; & imaginibus quoq; pictis imposuerunt, & veluti* ἀπαύγασμα *capitis delinearunt Iridis coloribus variegatum, quod & miserum vulgus, ut sanctum quid colit atq; adorat. Idem stultitiæ genus Moysi cornua fecit, Angelis alas & similia.* Non igitur de nihilo est, quod Horatius ex Platone Picturam Poesi comparat: quod Plutarchus quoq; eleganter ζωγραφίαν φθεγγομένην εἶναι τὴν πόιησιν: πόιησιν δὲ σιγῶσαν τὴν ζωγραφίαν picturam póesin esse loquentem: Poesin autem tacitam picturam dixit. Atque sic quidem libuit intendere digitum in fontes superstitionum: quibus plus otii, illi hæc à nobis dicta illustrare & pluribus confirmare tutò possunt. Generalis autem caussa miseriæ huius est improbitas hominum qui

*in Arte 10. de Rep. libello quomodo Adulescẽs Poetas audire debeat. In libello: Sapientiâne an virtute bellicâ præstiterint Athenienses, refert hoc ad Auctorem Simonidem.*

NB

relicto verbo DEI ad hominum auctoritatem convertuntur, & plus tribuunt majorum fabulis, quam invictæ veritati: scilicet Lux illa æterni patris, ê sinu eius, duxit nos in veritatem omnem, & tamen tenebræ eam compræhendere noluerunt, quia tenebræ erant & mera caligo.



## CAPVT II.

### *Felicitatis miræ circa Honores & Dignitates Exempla quædam nobiliora.*

Est profecto ita, ut vulgari fertur verbo, quibusdam matrem esse indulgentissimam Fortunam, quibusdam duram & sævam novercam. Hoc capite illud docebimus nam infelicitatis extremæ injucunda solet esse memoria & narratio. Principem vero felicitatis gradum attigisse & summum, visus mihi Quintus est Metellus, cui ex virtute Macedonici nomen inditum. Hic enim præter excellentes triumphos honoresque amplissimos & principale in Rep. Romanâ fastigium, extentumque vitæ spatium, innocentesque pro Rep. cum inimicis contentiones, quatuor filios

*Vell. Paterc. l. 1. & Plin. lib. 7. c. 44. Val. l. 7. c. 1.*

kos ſuſtulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit ſuperſtites & honoratiſſimos. Mortui eius lectum pro Roſtris ſuſtulerunt quatuor filii, unus conſularis & Cenſorius, alter Conſularis, tertius Conſul, quartus Candidatus conſulatus, quem honorem adeptus eſt. *Hoc eſt nimirum*, exclamat in huius rei narratione Velleius Paterculus, *magis feliciter de vitâ migrare, quam mori.* Et hanc quidẽ felicitatẽ à Patre accepiſſe velut de manu in manum traditam videtur. *Plin. l.7.c.43* Nam in eâ Oratione quam habuit ſupremis laudibꝰ Patris ſui L. Metelli, Pontificis, bis conſulis, Dictatoris, Magiſtri Equitum, Quindecemviri agris dandis, qui primꝰ Elephantos primo bello Punico duxit in triumpho, ſcribtum reliquit: *decem maximas res optimasq;, in quibus quærendis ſapientes ætatẽ exigerent, conſummaſſe eum: Voluiſſe enim primariũ bellatorem eſſe, optimũ Oratorem,* *Scopi Herolt.* *fortiſſimũ Imperatorẽ, auſpicio ſuo maximas res geri, maximo honore uti, ſumma ſapientiâ eſſe, ſummũ Senatorem haberi, pecuniam magnam bono modo invenire, multos liberos relinquere & clariſſimũ in civitate eſſe.* O inauditam & vix optandam felicitatem, & quam nulli, præter eum, homini (ſi tamen & ipſi obtigit) obtigiſſe vel ante vel pòſt, quinquagenario auſim ſacramento contendere.

Ma-

Magna quoque fuit Domitiæ familiæ felicitas, quia diuturna & veluti concatenata, niſi forte id imminuat eam, quod arctata numero fuit: Singulis enim Domitiis ſinguli ſunt geniti filii, ſed omnes ad conſulatum ſacerdotiaque, ad triumfi autem penè omnes pervenerunt inſignia. Quibus Domitiis pares penè Cæcilii fuêre Metelli, quippe intra XII. annos & conſules fuere Metelli aut Cenſores aut triumpharunt amplius duodecim. Sed ne vetera ſolum adferre videar, ad recentiora quædam ibo: Quæ ſit Auſtriacæ familiæ potentiſſimæ pertinax felicitas, notius eſt, quam ut commemorari debeat: Id tamen in illâ præcipuè notabile, quod arctiſſimis temporis ſpatiis ſeſe interdum exſeruit. Albertus enim Auſtriacus Sigiſmundi ſucceſſor Cal. IanuarI Anni CIↃ CD XXXIIX. coronatur in Regem Hungariæ, Nonis MaI Rex Bohemiæ renunciatur. XIII. Cal. Aprileis Francofurti ab Electoribus Imp. Rom. deſignatus. Maximilianus etiam II. Imp. laudatiſſimus intra unius anni ſpatium faſtigium omnium Dignitatum attigit. Bohemiæ enim Rex electus eſt Pragæ XII. Cal. Octob. Anni CIↃ IↃ LXII. Romanorum deinde Rex prid. Cal. Dec. ejuſdem anni. Ungariæ verò Rex die Natali Virginis Ma-

riæ 6. Id. Sept. Anni CIↃ IↃ LXIII. Divo deinde Ferdinando Patri in imperio successit Anno CIↃ IↃ LXIV. De Nicolao V. Pontifice Romano Petrus Justinianus scribit: *Nicolaus V. Eugenio Pontifici suffectus est, Thomas Sarzanius anteà vocatus, eodemq; anno Episcopus, Cardinalis & Pontifex creatus, unicum admirabileq; humanæ felicitatis Exemplum*: nisi forte huic parum concedat Ioh. Angelus Medicinus, de cujus insigni felicitate hæc Jac. Aug. Thuanus Vir illustris commemorat: *Cum post Paulli IV. mortem sedes Romana vacasset menseis IV. dies VII. Iohannes Angelus Medicinus in Pontificem tandem electus est VII. Cal. Iau. inter septimam & octavam eius noctis, quæ diem Natalitium Salvatoris insecuta est, suffragantibus ex* XLIV. *Cardinalibus, qui comitiis intererant, præcipuè Carolo & Alfonso Caraffis, Alexandro Farnesio, Guidone Ascanio Sfortiâ & Ludovico Guisio. Dein Epiphaniæ festo de more coronatus est, & ita unus meruit, quod non temerè alii evenisse constat, ut tribus celeberrimis anni festivitatibus, nimirum Paschatis nasceretur, natali Christi Pontifex crearetur, ac demum Epiphaniæ die supremæ dignitatis insignia caperet. Pater huis Bernardinus fuit, humili loco Mediolani natus,*

*l. Hist. 28.*

*Factū anno* CIↃ IↃ LIX.

*natus, vectigalium redemtor, qui ex Cæcilia Serbellonâ XIV. liberos suscepit, quorum natu maximus Iohannes Iacobus Meleniani Marchio fuit,* ( quibus autem rationibus ad id dignitatis pervenerit & quomodo suæ fratrisq;, de quo agimus, fortunæ faber exstiterit, vide eumdem Thuanum Hist. lib. 16. ) *quem subinde Pontifex frater, cum adclamationibus ex conclavi in B. Petri Basilicam deduceretur, ex circumstantibus amicis, non sine flagrantissimi desiderii significatione, ubi esset, requirebat. Post Iohannem Iacobum hic Ioh. Angelus fuit, qui Pontifex factus Pius IV. appellari voluit. Tertius frater Ioh. Baptista, post eum Augustus, qui Ioh. Iacobo mortuo, Meleniani Marchio etiam fuit, ac novissimus Gabriel, qui anno* CIↃ IↃ XXXV. *in obsidione oppidi Leuci, bello, quod cum eius fratre Franciscus Sfortia Insubrum Dux gessit, ictu tormenti ad Mandellum interfectus est. E sororibus natu grandior Clara VVolfgango ab HohenEmbs nobili Germano in diœcesi Constantiensi nubsit ex quo matrimonio nati Marcus Siticus Cardinalis, Hannibal & Gabriel Comites, minor Margarita Gilberto Berromæo Aronæ Comiti conjux data Carolum Cardinalem vitæ sanctimoniâ apprimè clarum & post mortem inter Divos relatum & Fridericum Comitem genuit, & Camillam, quæ Cæsari*

*Gonza-*

*Gonzagæ Ferdinandi F. nubsit. Sic memorabili fortunæ beneficio familia tenuis ad summa dignitatis & cognationis fastigia pervenit.* Vt nihil jam dicam de Sixto V. qui â teneris caprarum contubernalis, & post custos, tamdem ad idem fastigium dignitatis Ecclesiasticæ evectus est: nihil item de Marcello Cervino dicam, qui patriam habuit Montem Pulcianum in agro Florentino, ubi, cum in humanioribus literis nonnihil profecisset cepit ludimagistrum agere: Deinde cum Paulus III. Alexandrũ Farnesium, puerum XII. annorũ, nepotẽ ex Petro Aloysio filio notho Cardinalem creasset, ei Ludimagistrum hunc Præceptorem dedit: Quo citô studiis valedicente, cùm negotiis tractandis totus incumbere cepisset, præceptore suo pro secretario usus est, quæ res illi gradum ad majora fecit: Paullò enim post Episcopus Nicastri creatus, & deinde discipulo suo Alexandro Farnesio ad Carolũ V. & Ferdinandum in Belgium legato tamquam moderator consiliorum & totius Legationis director adjunctus, req; præclarè gesta reversus Cardinalis se absentem dignitate â Paulo III. condecoratum cognovit. Tamdẽ Julio III. Pontifice demortuo Papa renunciatus est v. Id. Apr. A. CIↃ IↃ LV, quâ tamen dignitate non diu gaudere potuit, obiit

*Ciacconius Montem Fani appellat & gente nobilem fuisse dicit. ego sequor fidem Balei.*

obiit enim prid. Cal. MaI ejuſdem anni ſeditque in ſede Romanâ dies tantum XXII. Concludam caput Exemplo militaris fortunæ: quod exhibuit in Eraſmo Narnienſi, qui ignobili natus patre, utpote, qui furnariam exerceret, ingenio nobilis ad militiam animum adjecit, atque ſub fortiſſimo Duce Braccio per omnes gradus naviter aſcendens clariſſimus bello evaſit, cumque aſtutâ admodum diſſimulatione hoſtem fallere ſciret, exinde Gattamelatæ cognomentum adeptus eſt. Braccius virtute & magnitudine animi hominis captus & nobilitatis ei inſignia & laciniæ ſuos colores honoris cauſsâ conceſſit. Inde Veneti exercitus Imperator factus, Braccio ad Aquilam cæſo, dignitatem ſui Ducis facile æquavit, ubique cauti potius, quam pugnacis Ducis laudem reportans, quo nomine & favorem Reipublicæ Venetæ mirificè auxit. Tandem cum in Paralyſeos incidiſſet morbum ex frigore quod in alpibus obſtinatiſſimè pertulerat, eoque exſtinctus eſſet, Veneti eum decreto publico propter egregiam fidem cum ſumma virtute conjunctã, æneâ Equeſtri ſtatuâ honeſtandum cenſuerunt, opera ad eam rem uſi præſtantiſſimi eius ætatis ſtatuarii Donatelli Florentini, quæ PatavI viſitur in areâ templi Anton.

*Iovius l. 2. Elogiorum.*

CAP.



# CAPVT III.

## *Felicitatis miræ exempla circa posteritatem sanguinis sui.*

INter benedictiones, quibus legitimum prosecutus est Conjugium auctor & institutor eiusdem primusque Paranymphus DEus Opt. Maximus, hæc quoque legitur in sacris: Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, ut videat filios filiorum suorum, pacem super Israel. Quæ res & insigni voluptate non caret & magnæ felicitatis loco habetur. Quod si enim Ps. 128.

*Nascitur indignè, per quem non nascitur alter.*

Quâ non gloriâ dignum deputabimus eum, per quem non unus sed innumeri, ut sic loquar proveniunt, in quibus reviviscat, & quorum conspectu se oblectet. Nihil hic dico, quantum Reipublicæ res hæc prosit, quam augeri civibus omnino expedit, quæ etiam, si bene constituta est, præmia gignentibus & orbis pœnas decernit. Huius felicitatis exempla, quæ passim lege-

re contigit, in hoc caput visum conjicere. Initium autem faciam â πολυτεκνίᾳ: neq; adferam miraculosum illum numerum Margaritæ Hollandæ, quæ uno partu trecentos sexaginta aliquot fœtus vivos edidisse perhibetur: non etiam Babonis Abusinæ Comitis & Rohrensis illius famosissimi, qui ex duabus uxoribus filios procreavit XXXII, & filias IIX. Quorum illos simul stitit & commendavit Henrico Aucupi, Imperatori Magnanimo, qui eo spectaculo mirificè delectatus est: non denique Polonicum illud exemplum, quod Cromerus habet de Margaretâ uxore Virboslai Comitis in Cracoviensi regione, quam scribit uno partu XXXVI pueros vivos edidisse die 20. Ianuarî Anni CIƆ CC XXIX. Sicut & illum quoque partum miraculosum existimo Bartholomeæ Uxoris Ioh. Antonî Buccanigræ, quã unico partu XVII liberos enixam scribit P. Bizarrus Historiæ Genuensis scribtor. Alia adferam & quæ fidem auctorum sequi nos penè cogant. Scribit Thomas Facellus Anno Salutis CIƆ CD XXX. Messanæ mulierem quandam años XXIV natam novem infantulos uno simul partu edidisse, sed pòst partum decessisse una cum infantibus, quô Exemplo confutare nititur illud de cellulis uteri commentum, sed nec hoc Exemplum

p. 359.

1. Dec. Rer. Sicul. l. 6.

plum nostri propriè instituti est. Alterum quod adjungit magis facit instituto nostro: Iohanna, inquit, Pancica Agrigentina mulier, ætate meâ, Bernardo Belluardo Agrigentino nubta, tantæ fuit fœcunditatis, ut tricies circiter enixa, tres supra septuaginta ediderit liberos. In Suevia circiter annum Salutis CIↃ CDXVII in arce Æntringâ cohabitarunt V Nobiles, qui procrearunt liberos C. Iohannes ab Halfingen ex Nippenburgensi uxore genuit XX. Rudolphus ab Ehingen ex Truchsesiâ uxore XIX. Marquardus ab Halfingen ex Ursulâ Bubenhofiâ itidem XIX. Georgius porro Halfingius ex Conjuge Kabinâ XXI. Hugo denique â Giltlingen ex uxore suâ totidem, ut retulit Doctissimus Amicus noster ὁ μακαρείτης Crusius. De Dalburgiâ quadam genere nobili scribunt Historici, eam in sexto gradu descendente posteros vidisse: atq; inde versus hi nati: *Annal. Suevic. p. 3. l. 8. c. 2. p. 418.*

*[1] Mater ait [2] natæ, dic [3] natæ, filia [4] natæ*
*Ut moneat [5] natæ plangere [6] filiolam.*

Ein Mutter zu jhrer Tochter sprach
Sag deiner Tochter/jhr Tochter gemach
Erschall/daß jhrer Tochter rein
Kleins Kindlein in der Wiegen weyn.

Parisiis in templo S. Innocentum legitur tale Epitaphium:

*Cy gist Yoland Bailly, qui trespassa l'an mill cinq Cents quatorze, le quatre vingthuictiesme an de son aage le 42 an de son veuvage, laquelle á veu, ou peu voir devant son tres pas deuxcents, quatre vingts & quinze enfans, issus d'elle.*

hoc est, Hic jacet Yolanda Baillya, quæ mortua est Anno CIↃ IↃ XIV. ætatis LXXXIIX, viduitatis XLII. Viditque aut videre potuit ante obitum suum CCXCV. liberos ex se prognatos. Ludovicus Vives Hispanorum Doctissimus scribit fuisse in Hispaniâ vicum centum domorum, cuius omnes incolæ erant â sene quodam superstite progeniti, ita ut jam propinquitatis nomen deesset, quo â minimis natu vocaretur. In Urbe nostrâ Vir Nobilissimus Cunradus Paumgartnerus â Paumgarten ex duabus uxoribus Annâ Friderici Kresslı filiâ, quam copulâtam sibi Anno Sal. CIↃ CDII. die Martis ante Ioh. Baptistæ, amisit CIↃ CDXV. die Solis post Matthæi & Clarâ Cunradi Zenneri filiâ quam copulatam item sibi anno CIↃ CD XVII. die Lunæ ante Catharinæ festum, cælo præmisit CIↃ CD XLIX. anno, profesto D. Bartholomæi

*Super l. 15 Aug. de Civit. DEI.*

mæi superstes vidit ex se natos liberos XXI. nepotes LXXVII. pronepotes XXXVII. quorum summa facit CXXXV. quos omnes suâ quoque manu in diariis suis consignavit, obiit ipse Anno Sal, CIↃ CD LXIV. die Lunæ post Ægidi, quam historiam mecum communicavit gentilis eiusdem Vir Nobilissimus item D. Paulus Paumgartner' â Paumgarten in Holenstein Præfectus Altorfinus. Stetini in Pomeraniâ mortem obiit Anno Sal. CIↃ IↃ LI. die XXIX. Junii Petrus Egestedius, qui cum Margaritâ Pielsiâ in conjugio vixit annos XLIIX: quorum ita proles adaucta fuit, ut dicta Margarita mater fuerit liberorum superstitum XII. avia nepotum & neptium LXXIIX. proavia pronepotum & pronepotium XLI, atque ita oculis suis viderit ex se & liberis suos natos homines CXXXI, quæ ipsa tamdem obiit anno ætatis suæ LXXXVII. Proxima huic Pielsiæ fuit Iuliana Stolbergia VVilhelmi Nassovi uxor, VVilhelmi Principis Auraici, Herois Fortissimi, mater, eiusdemq; Magnanimi Filii Maurici avia An. Chr. CIↃIↃLXXIIX, ætatis suæ LXXV. numeravit filios nepotes & pronepotes CXXIII, ut retulit Metteranus in Hist. Belgicâ. Iacobus quoq; Pfeffinger hac felicitate perfructus est, qui cum natus esset Basileæ Anno Sal. CIↃ CD LXXXVI, vi-

l. 12. p. 422.

xit usque ad annum CIↃ IↃ LXXXII. ætatis suæ XCVI-vidit tertios ex filiâ liberos, hoc est nepotes pronepotes & trinepotes. Videantur ad hanc rem Camerarius Centuriâ 2 Horarum Succisivarum & Simon Maiolus in diebus Canicularibus. Concludam hoc caput miserabili narratione, sed lœto tamen exitu, quomodo videlicet multitudo prolis & victori truculento misericordiam expresserit & matri salutem pepererit. Historiam describunt P. Callimachus Experiens, & Nicolaus Olahus ArchiEpiscopus Strigoniensis in describtione Attilæ Hunni: *Attila*, inquiunt, *cum ex Tungris profectus Trecas Lupo Episcopo miraculosè perducente in viam publicam rursus venisset, obvia fit ei mulier, quæ decem filiarum mater, minimam, quæ bima erat, linteolo ad collum suum alligatam portabat, stimulans simul jumentum, cui ex reliquis teneriores duas superimposuerat: subsequentibus adultioribus cœteris, non tantum formâ, sed quadam etiam inter se similitudine insignibus: quæ armatorum supervenientium terrore exanimes, matri se circumfuderant. At illa jampridem suorum patriæque casu, quam captam eversamque putabat, adflicta, jam verò ad præsentem fortunam exsanguis & vix animi compos, omnia calamitosa, & fœda de se ac liberis*

c. 68. Colloq. 4. Tom. I.

*liberis animo præsumens, in flumen, cujus in ripâ substiterat, præcipitem se datura videbatur: Cum, qui circumsteterant, admirati indolem & numerum filiarum, ab omni abstinentes injuriâ ad Attilam perducunt. Movit suapte natura mitem Regis animum etiam sævissimis ingeniis spectaculum miserabile, cum mater & quæ per ætatem mala sua sentiebant filiæ, pedibus regis circumfusæ, lachrymis ac vocibus, quas inter desiderium & tædium vitæ dolor metusq; suggerebant, misericordiam captarent. Itaq; clementer matrem elevans, bono animo esse jussit, â se quidem ac suis inviolatam fore: mox datâ ei non mediocri, ut exinde quoque animi eius sensus in tam naturæ raro, fortunæ verò miserabili exemplo indicaretur, ad filias matri liberatas adjecit & alias in fugâ captas, & quo vellent omnes redire permisit.* Ego verò DEUM hic flexisse Attilæ animum puto, nam, quod Historici scribunt, suâpte naturâ mitem fuisse, vix faciunt fidem. DEUS fuit, qui miseram matrem magno liberorum onere pressam erigere voluit, & perspicuè ostendere, tum demum Divinum auxilium sese exserere solere, cum humanũ omne desperatum sit, quippe cum spes humani auxilii divinũ subvertere soleat, in q̃ rem eleganter Libanius Rhetor & Sophista:

Declam. 43. in Accusatione Magi. Τὸ πρὸς ἑτέρας ἡμᾶς ἰδεῖν ἐλπίδας, καὶ δέξασθαι λόγους ὑπὲρ ἄλλης ἐπικουρείας, μετὰ τὴν μεγάλην ἐκείνην. θαυμάσαιμ' ἄν, εἰ μὴ τῆς εὐνοίας τε καὶ σπουδῆς, ἧ κέχρηται περὶ τὴν πόλιν ὁ θεὸς, μέγα μέρος ἀφαιρήσεται: hoc est, *Nam hoc ipsum quod ad alias spes nos convertimus, & admittimus in aures atq; animum, quæ dicta sunt de alio subsidio post ingens illud auxilium: mirarer si non benevoli affectus & studii, quod DEUS huic civitati hactenus impendit, non exiguam sed magnam adimeret partem.* Verumque fecit hoc DEus illustri exemplo regis Assæ qui cum Benhadadi Syriæ Regis opem adversus Baesam Israelis Regem implorasset, desertus propterea â DEO fuit, denunciante ei DEI judicium Hanania Prophetâ, ut videre est in Paralipomenis. l. 2. c. 16 v. 2. 3. & 7. 8.



## CAPUT IX.

### *Falsum quibusdam vero gratius.*

VErè olim Sextus Empyricus dixit: Corpus esse Characterem animi. Unde multa, quæ corpori accidunt, animo quoq;

quoque per analogiam quandam accidere solent. Quemadmodum igitur in corporis affectionibus videmus, sæpe noxia præ salubribus expeti, vel naturæ ipsius vitio, vel pravæ consuetudinis, ita & animus quandoque falsa præ veris arripit, iisque magis delectatur. Vidit hoc, ut multa alia, eruditissimè Dio Chrysostomus, ut ex his eius verbis apparet: Ὥσπερ τοῖς νοσοῦσι τὰ ὄμματα τὸ μὲν φῶς ἀνιαρὸν ὁρᾶν, τὸ δὲ σκότος ἄλυπον καὶ φίλον, οὐκ ἐῶν βλέπειν, οὕτως τὸ μὲν ἀληθὲς πικρόν ἐστι καὶ ἀηδὲς τοῖς ἀνοήτοις, τὸ δὲ ψεῦδος γλυκὺ καὶ προσηνές. *Quemadmodum iis, quibus oculi dolent, lumen videre molestum est, tenebræ sine molestiâ, jucundæ quin potius & amicæ, quia videre prohibeant. Sic veritas amara & injucunda est fatuis mendacium contra blandum & dulce.* Quemadmodum etiam prægnantes fœminæ, quæ κίττᾳ sive pica laborant, hoc est, stomachi languore cum nausea conjuncto consuetos & salubres cibos respuunt, proq; iis carbones, cretam aut lutum coagulatum appetunt: Ita multorum animi nauseant ad veritatem ex infirmitate judicii, & turgentes inani persuasione, prurituque novitatis vexati, falsa pro veris tueri præsumunt & in ratiunculis quibusdam ita sibi placent, ut etiam in veritatis relegatione triũphent.

*Oratione XI, quæ inscribitur* Τρωϊκὸς, ὑπὲρ τοῦ Ἰλίου μὴ ἁλῶναι.

Qui mihi de porcorum prosapia aut indole videntur esse : nam & porci libentius se immittunt & immergunt in lutum graveolentissimum, quam in aquam puram & limpidam. Ubi rursus Dio eleganter : *In Atticâ*, inquit, *scarabæos quosdam esse dictitant, qui de purissimo melle etiam profuso nihil gustent, alio quovis impurissimo etiam alimento prælato*, prorsus ut hi de quibus agimus, qui veritate neglecta pasci malunt errore & mendacio. De Demophonte quodam Alexandri mensæ structore Sextus Philosophus narrat, eum, cum ad solem stabat, aut in balneo erat, algere solitum, in umbrâ, incalescere consuevisse: Planè hi, de quibus loquimur, Demophontes eiusmodi sunt: quibus, si veritas apponitur, frigent, cum falsitas, calent, præposterè admodum & monstrosè. Estque hoc admirabile in his talibus distortis ingeniis, quod nihil ex falsi perceptione aut appræhensione alterentur. De Chrysermo item Eriphilo legimus; si quando piper edisset, cardiacum fieri solitum & quidem periculosè : De Sotericho item Chirurgo quodam, si quando siluri nidorem percipiebat, cholerâ corripi consevisse : Nihil horum accidit nostris hisce, quamquam absurdissi-

diſſima, quamquam falſiſſima animo imbibant : nimirum ut cicuta homini venenum eſt, coturnices pinguefacit, ſicut hyoſcyamus porcos : ita Falſum impinguat huiusmodi monſtra, quod judiciis ſanioribus morbo eſt & averſabile. Vnde non ſine cauſſa tales Euripides apellat ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιὲς ἀλλὰ πάντῃ περιφρονοῦντες : Ad hanc naturæ pravitatem ſi acceſſerit conſuetudo, actum eſt de ſalute aut emendatione horum ingeniorum : Fuiſſe ajunt anum quandam Atticam quæ ex inveteratâ conſuetudine eo progreſſa ſit, ut holcas cicutæ triginta ſine damno ſorberet, & Lyſis, apud Sextum, ſucci papaveris quatuor holcas nullâ cum moleſtiâ hauriebat : Ruffinus etiam quidam apud Chalcidem bibens Helleborum, neq; vomebat, neq; ullo etiam modo purgabatur, ſed ut conſuetum aliquem potum ſumebat & concoquebat : Ne quid dicam de Pori puellâ napello paſtâ: quam munus Alexandro deſtinaſſe fertur, ut contactu eius & complexibus periret. Prorſus ita complures conſuetudine â vero deficiunt & falſis adhærent : Agnovit hoc Ariſtoteles non uno loco: alicubi enim Platonem perſtringit : *Cum Cratylo*, inquit, ado-

*1. Pyrrhon. Hypotheſ.*

*1. Metaph.*

*adolescens conversatus & Heracliti sermonibus innutritus, tamquam omnibus sensilibus fluentibus & nullâ de iis existente scientiâ, alia quoq; postea â veritate aliena statuit.* Et rursus: *Qantam vim habeat consuetudo, vel leges declarant, in quibus fabulosa & puerilia plus possunt propter consuetudinem, quam veritas nuda & aperta:* Eodem modo qui Poetarum fabulis dediti ab ineunte ætate fuere, non possunt ulla ratione ab illis avocari. Quis enim facile admittat hodie Didonem virginem mansisse, Æneam ignorasse: Ilium â Græcis captum esse, Penelopen impudicam fuisse, quia contrarium de his Poetas dicere novit? Historiæ tamen & Scribtores gravissimi illud adserunt. Dido quidem de seipsâ apud Ausonium:

*Epigr. HI. ex Græco* ἀδεσπότῳ.

*Illa ego sum Dido vultu, quam conspicis, hospes,*
*Assimilata modis pulcraq; mirificis.*
*Talis eram: sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens:*
*Vita nec incestis læta cupidinibus.*
*Namq; nec Æneas vidit me Troius umquã*
*Nec Libyam advenit classibus Iliacis.*
*Sed furias fugiens atq; arma procacis Hiarbæ*
*Servavi fateor morte pudicitiam.*
*Invida, cur in me stimulasti, Musa; Maronem,*
*Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ.*

*Vos*

*Vos magis Historicis Lectores credite de me,*
*Quam qui furta Deûm concubitusq; canunt,*
*Falsidici vates: temerant qui carmine verum*
*Humanisq; Deos adsimilant vitiis.*

Videatur Dionys. Haliçarnasseus & Macrobius: De Ilio non capto â Græcis pugnat Dio Chrysostomus Oratione elegantissima quæ inscribitur τρωικὸς & rationibus evincit necessariis. Impudicitiam autem Penelopes Duris Samius traduxit, ex quo Lycophron in obscurissimo Poemate eam appellat Βασσάραν κασσωρέυουσαν Bassaram scortantem: ita enim Ioh. Tzczes vocem κασσωρέυουσαν interpretatur per πορνέυουσαν: quò pertinet & Epigramma, quo Hortorum Deus Penelopen alloquitur in Catalectis: *lib. 1.* *5. Saturn. c. 17.* *Oratione XI.*

*Quæ sic casta manes, ut jam convivia visas &c.*

Diligens igitur adhibenda cura, quibus ingenia puerorum â teneris imbuantur: hærent enim illa nec facile evelluntur, & quemadmodum Pindarus eleganter de naturæ inclinatione moribusque loquitur: *Olympo. XI.*

Τ' ἐμφυὲς οὔτ' αἴθων ἀλώπηξ
Οὔτ' ἐρίβρομοι λέοντες
Διαλλάξαιντο ἦθος.

hoc

hoc eſt, *nec ardentem vulpem, nec graviter ru-*
l.1. Ep. 2. *gientem leonem naturâ inſitos mores mutare va-
lere:* ita rotundè admodum de inſtitu-
tione puerili Horatius:

*Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem*
*Teſta diu.*

Contra ſi fiat, & pravis ac falſis opinionibus incauti juvenes irretiantur â teneris, infantiæ ſuæ perſuaſionibus in ſenectute etiam pueraſcunt turpe putantes, quæ imberbes didicere, ſenes perdenda fateri, ut ait Poeta, & ex eo omnis elegantiæ Arbiter Petronius. Sed & hic plerique peccamus Athenienſium peccatum, quod & Alexan-
Oratione 32. drinis objicit Dio Pruſæus ſive Chryſoſtomus, cuius inſigni loco caput hoc concludam: Νῦν μὲν γὰρ ἁμαρτάνετε τὸ Ἀθηναίων ποτε ἁμάρτημα. Τοῦ γὰρ Ἀπόλλωνος εἰπόντος: εἰ θέλουσιν ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐν τῇ πόλει γενέσθαι, τὸ κάλλιστον ἐμβαλεῖν τοῖς ὠσὶ τῶν παίδων. Οἱ δὲ, τρήσαντες τὸ ἕτερον, χρυσίον ἐνέβαλον: οὐ συνέντες τοῦ θεοῦ: τοῦτο μὲν γὰρ κόραις μᾶλλον ἔπρεπε καὶ παισὶ Λυδῶν ἢ φρυγῶν: ἑλλήνων δε παισὶ, καὶ ταῦτα θεοῦ προστάξαντος, οὐκ ἄλλο ἥρμοζε, ἢ παιδεία καὶ λόγος ὧν οἱ τυχόντες εἰκότως ἂν ἄνδρες ἀγαθοὶ γίγνονται καὶ σωτῆρες τῶν πόλεων. ἐκεῖνοι μεν οὖν

κακῶς

κακῶς ἐχρήσαντο τοῖς ὠσί. hoc eſt, *Peccatis ſanè ô Alexandrini vetus illud Athenienſium peccatum, quibus cum reſpondiſſet Apollo, ſi vellent bonos viros in civitate provenire, ut, optimum quod eſſet, puerorum auribus inſererent: illi alterâ cuique aure perforatâ, aurum inſeruerunt, DEI mente & voluntate non intellectâ. Hoc enim puellas magis decebat, aut Lydorum Phrygumve pueros. Græcorum autem pueris, DEO præſertim præcipiente, magis congruebat honeſta inſtitutio & doctrina, quæ adeptos faciunt viros bonos & urbium ſoſpitatores: malè igitur Athenienſes puerorum ſuorum auribus uſi ſunt, & contra Apollinis ſententiam.*



# CAPUT V.

## *Multa homines â brutis accepiſſe in vita communi utilia.*

VAldè conqueritur Plinius in ſua naturali Hiſtoria; omnia Homini eſſe adverſa in hac vitâ, reliquis animantibus matrem eſſe Naturam, quibus inſtinctum non modo

modo ſed & notitiam donavit deligendi utilia, fugiendi noxia: Vrſus â mandragorâ lœſus formicis ſibi medetur: aper hedera, muſtela cum regulo congreſſura rutam prius quærit: teſtudo & ciconia â ſerpentibus oppugnata origano ſe munit: bufo venenatibus ictibus ſaucius rutâ vel ſalviâ ſuperat venenum: accipiter hieracio utitur: grus junco, anſer & anas & congeneres aves helxine: columba verbenæ vim prodidit, upupa uvarum paſtu lœſa adianti, pica ægrotans lauri foliis in nidum immiſſis ſanitatem ſibi reſtituit, cervus dictamnum edit: hirundo Chelidoniæ inventæ nomen reliquit. Solus homo in hunc mundum ejectus & inops eſt omniũ rerum & ignariſſimus juxta omnium præſidiorum. Quæ ipſa diſcere etiam miſer neceſſe demum habet â brutis, tamquam in ſcholam beſtialem â naturâ miſſus. Cum enim â naturâ negatum ei ſit dignoſcere alimenta, aut modum in aſſumendis eis tenere, quorum utrumque brutis datum eſſe videmus, fieri non poteſt aliter, quam ut variis morbis affligatur contra quos remedia â brutis diſcere neceſſe habet, quædam jam ex plurimis attigimus: ſed & alia quædam adjiciamus. Inter præſtantiſſima contra morbos remedia Venæ ſectio hodiè ab Experien-

*Vid. plura ap. Plin. l. 8. c. 28. Ariſtotelẽ l. 6. Hiſt. Animal. c. 6.*

perientiſſimis Medicis commendatur & Clyſteres. Vtrumque remedium, non ratio humana invenit, ſed bruta monſtrarunt: illud quidem Hippopotamus, iſtud Ibis. De Hippopotamo Plinius: *Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter exſtitit: Aſſidua namq; ſatietate obeſus exit in littus, recentes harundinum cæſuras ſpeculatus, atq; ubi acutiſſimam vidit ſtirpem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atq; ita profluvio ſanguinis morbidum alias corpus exonerat, & plagam limo rurſus obducit.* Idem *lib. 8. c. 26.* alibi repertorem detrahendi ſanguinis vocat. *l. 28. c. 8, extremo.* De Ibide idem Plinius ita ſcribit: *ſimile quiddã & volucris in Ægypto monſtravit ciconiæ ſimilis, quæ vocatur Ibis: roſtri aduncitate per eam partem ſe perluens, qua reddi ciborum onera maximè ſalubre eſt,* *Ead. Solinus habet c. 35.* *quod & Cicero tangit & Solinus & Plutarchus non uno loco.* *2 de Nat. DEORVM, c. 35.* *Perluit autem ſe aquâ Nili aut de æquore ſalſo pleno gutture abſorbtâ, eam poſteà oblongè in anum collo eructat, & ſic excrementa viſcerum eluit.* *In lib. de Ibide & Oſyri: item de ſollertiâ animal.* Ab Ibide didicerunt poſt Ægyptii longo ante Hippocratem tempore, qui exinde arbitrati omnes morbos ex crapulâ & ciborum cruditate oriri, ſingulis trimeſtribus ventriculum â ſaburrâ crudi eſculentorum chyli exonerabant & inteſtina clyſmate eluebant, ut ex Diod. Siculo *Ælian. quoque lib. 2. de Hiſt. Animal. c. 35.*

p. 488. & 765. narrat Doctiss. Langius, qui tamen de tempore dissentit. Verba Diodori sunt. Τὰς νόσους προκαταλαμβανόμενοι θεραπεύουσι τὰ σώματα κλυσμοῖς καὶ ποτίμοις τισὶ καθαρτηρίοις καὶ νηστείαις καὶ ἐμέτοις: ἐνίοτε μὲν καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν, ἐνίοτε δὲ τρεῖς ἢ τέτταρας ἡμέρας διαλείποντες. φασὶ γάρ, πάσης τροφῆς ἀναδοθείσης τὸ πλέον εἶναι περιττὸν, ἀφ᾽ οὗ γεννᾶσθαι τὰς νόσους. hoc est, *Morbos ut antevertant, clysteribus & potabilibus quibusdam purgamentis*, jejuniisque & vomitu corpora medicantur, idque vel in dies singulos repetunt, vel triduum aut quatriduum interponunt, In omnis enim nutrimenti digestione majorem partem esse superfluam & hinc morbos creari censent.* Porro & vomitus rationem â Cane iidem Ægyptii didicerunt. Idem Plinius: *Canes vomitum hominibus monstraverunt, qui ægrescentes, aut cholerâ in ventriculo onerati, aut lumbricis infestati, herbam tritici aut aspera graminis folia edunt & rodunt, ut vomitum provocent & ventriculum exonerent.* Quod ipsum & Cic. 2. de Nat. deor attingit, & plenius Ælianus in libb. de lib. 8. c. 9. Hist. Animalium. Κύων ὑπὸ πλήθους ὀχλούμενος, οἶδε πόαν ἐν ταῖς αἱμασιαῖς φυομένην, ἥπερ οὖν γευσάμενος ἐμεῖ πᾶν τὸ λυποῦν μετὰ φλέγματος καὶ χολῆς, ὑποχωρεῖ δὲ αὐτῷ

καὶ

καὶ τῶν σκυβάλων πάμπολλα, καὶ ποείζει σωτηρείαν ἑαυτῷ, δεηθεὶς ἰατρῶν συμμάχων οὐδέν. hoc est, *Quum retundantiâ canis vexatur, herbam in maceriis nascentem novit, quâ comesâ, omne id, quo affligitur cum pituitâ & bile evomit, & alvo pariter plurimum sicciores excrementi reddit, sibi ipsi eâ ratione sine ullius medici opera salutem procurans.* Porro non solum docuerunt nos bruta morbis resistere, sed & adversus quosvis hostes vitam tueri & arma induere. Ichneumon unum ex illis; Mergit se limo sæpius, siccatq; deinde Sole: mox ubi pluribus eo modo veluti coriis se lorificavit, in dimicationem cum aspide pergit. Alterum manifestus armaturam & militarem & Equestrem docuit; illud Hispanis Armadillo dicitur. Ferdinandus Oviedus Bardato appellat: armavit id natura toto corpore, unde & Græcis καλάφρακλος dicitur, & milites exinde Cataphracti, de quibus consulendi scribtores rei militaris. Quin & Cuniculi rationem superandi hostes clandestinam ostendêre, ut docet Martialis in Xeniis:

c. 22. Summar I.

l. 13. Epigr. L X.

*Gaudet in effossis habitare Cuniculus antris,*
*Monstravit faciles hostibus ille vias.*

& Vegetius: *Aliud genus oppugnationis est subterraneum, atq; secretum, quod Cuniculū vocant, à leporibus eius nominis, qui cavernas sub terris*

l. 4. c. 24.


*fodiunt, ibiq; conduntur.* Sic Vejentas expugnavit Camillus, ut auctores sunt Li-
l.5.l 1.c.12 l.1 vius, Florus & Eutropius: Alexander Ga-
l.4.l.4.l.24. zam, ut Curtius: Fidenas Æmyli', ut item Livius, videatur & Amian. Marcell. in expugnatione Majo Zamalchæ urbis. Festus ita de hac re: *Cuniculum est foramen sub terrâ occultum: aut ab animali, quod simile est lepori, appellatur, quod subterfossâ terra latere est solitum, aut â cuneorum similitudine, qui omnem materiam intrant findentes.* Insitio præterea illa arborum unde nisi ab avibus? Semine enim raptim avium fame devorato, solidoque & alvi tepore madido, cum fœcundo fimi medicamine abjecto in mollibus arborum lecticis, & ventris sœpe translato in aliquas corticum rimas, videmus cerasum in silice, platanum in lauro, laurum in ceraso & baccas simul discolores, inquit Plinius, additque: *Tradunt & monedulam*
l.17 c.14. *condentem semina in cavernarum thesauros, eiusdem rei prœbere caussas.* Eadem ex Theophrasto narrat Ælianus lib. 9. c.37: *Caussam,* inquit, *cur ramus sœpe succrescat alienæ arbori Theophrastus affert: Aves arborem fructus comedentes, excrementa egerere, semenq; in cavernas & fissuras ligni delapsum & pluvia irrigatum enasci & pullulare.* Concludam caput mirabili narratione, quam habeo ab

co,

co, quem ante laudavi Ferdinando Ovieda, qui & Musicam à bruto originem cepisse, aut certè disci potuisse contendit. *Est*, inquit, *Animal quoddam, quod Hispanis appellatur Perillo Ligero: Latinis Ignavus: quod canendo sex voces per intervalla refert, incipiendo ab altissimâ, quasi caneret La, sol, fa, mi, re, ut.* Miror si non & Astronomiam nos docuere. Plinius certè tribuit illis cœli quoque observationem & ventorum, imbrium item & tempestatum præsagia, notitiam interlu- *l. 8. c. 28.* niorum & alia. Ælianus etiam attestatur: Ægyptios dicere Orygem caniculæ sideris *l. 7. c. 8.* exortum cognoscere & sternutamento testari: Libycos etiam confidenter & fortiter asserere suum caprinum pecus eiusdem stellæ exortum præscire, itemque pluvias præsentire. Alibi quoque Asellum ait omnium maximè Sirii sive caniculæ exortum extimescere, qui timor arguit quoque notitiam eiusdem. Deniq; & religio ipsis inest ac metus Deorum. Vnde venenatorum animalium nullum Apollinis Clarii templum ingreditur, scilicet noxiæ feræ metuunt Salutis auctorem & Æsculapii de- *l. 10. c. 49.* pulsoris morborum parentem, inquit Ælianus: & rursus alibi: In Arcadia, inquit, *l. XI. c. 6.* locus est Aula nomine, & in eo delubrum Panis. Ad id quæcumque confugiunt

 ani-

animantes, vitæ securæ sunt: nam & Lupi, si quæ animalia eò fuerint persecuti, intrare verentur & loci aspectu territi recedunt: sic religio & supplicibus caussa salutis & rabiem insectantium coercet ac sistit.



## CAPUT VI.

*Urbium veterum nomina δυσφημίας vitandæ caussa mutata esse in lætiora, cur item quibusdam famosa nomina imposita.*

MAgna fuit veterum superstitio & inveteratus error, quasi vi naturæ occultâ ac genio quodam res nomina sortiantur, quæ futuræ ipsis vel adversæ vel prosperæ fortunæ quædam velut præsagia sint. Multa super hac re Plato in Cratylo. Athenienses etiam optimam spem de insigni illâ in Siciliam expeditione conceperant ex Niciæ nomine, qui ei præerat, victoriam sibi veluti pollicentes, quæ spes tamen omnis in fumum abiit: Nicia & exercitu cæso. Nec non & Romani superstitione hac imbuti

buti fuerunt: qui cum Italiæ lacus locarent, Lucrinum primum ominis caussâ locarunt: & ut auctor est Cicero, in lustrandâ colo- *1. De Divin.* niâ, ab eo qui eam deduceret & cum Imperator exercitum, Censor populum lustraret, Bonis nominibus, qui hostias ducerent eligebantur. Quod idem in dilectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine. Festus eleganter huc: *Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur fruendus ominis boni gratiâ, ut in dilectu censuve primi nominantur Valerius, Salvius, Statorius.* Ab hoc fonte fluxit & illud, quod nomina Urbium & oppidorum quorundam male ominata immutarunt & lœtiora imposuerunt: quâ de re paucis. Erat in Samnio Urbs olim Maleventum dicta, ut auctores sunt Livius & Plinius, Græcis olim *l. 9. & 14.* habitata, qui eam μαλόεντα dixerant, sicut *l. 3. c. 11.* Σιπόεντα, Ὀπόεντα, Ὑδρόεντα, Maluntum, Sipuntum, Opuntum, Hydruntum: Romani *Vid. Scalig.* postea dixere Malventum, Sipuentũ, Opu- *ad Festum.* entum, ut Auruncum & Averruncum. Condita dicitur â Diomede, ut notarunt Solinus & Servius ad versum illum Virgilii *c. 8. 118.*

*Mittitur & magni Venulus Diomedis ad Urbem.*

Assentitur & Procopius & rationem adfert *l. 1. Belli* cur olim dictum putet Maleventum, *Gothici.*

Βενεβεντὸν πάλαι Μαλεβεντὸν ὠνόμασαν Ῥωμαῖοι, τανῦν δὲ βενεβεντὸν καλοῦσι, ἀπὸ τοῦ προτέρου ὀνόματος διαφεύγοντες βλασφημίαν. Βέντος γὰρ ἄνεμον Λατίνων φωνὴ δύναται. Ἐν Δαλματίᾳ γὰρ ἣ ταύτην κατ᾽ ἀντικρὺ ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ κεῖται, ἀνέμου τι πνεῦμα σκληρόν τε καὶ ὑπερφυῶς ἄγριον ἐπισκήπτειν φιλεῖ, ὅπερ ἐπειδὰν ἐπιπνεῖν ἄρξηται, ὁδῷ ἰόντα ὅντινα ἄνθρωπον ἐνταῦθα εὑρεῖν οὐδεμία μηχανή ἐστιν: ἀλλ᾽ οἴκοι, ἅπαντα καθήρξαντες, ἑαυτοὺς τηροῦσι, τοιαύτη γάρ τις ἡ τοῦ πνεύματος φορὰ τυγχάνει οὖσα, ὥστε ἄνδρα ἱππέα ξὺν τῷ ἵππῳ ἁρπάσασα, μετέωρον φέρει, ἐπὶ πλεῖστόν τε περιαγαγοῦσα τῆς τοῦ ἀέρος χώρας, εἶτα, ὅπη παρατύχῃ ἀπορείπτουσα κτείνει. Βενεβεντὸν δὲ, ἅτε καὶ ἀντικρὺ Δαλματίας οὖσαν (ὥσπερ μοι εἴρηται) ἐπί τε ὑψηλοῦ τινος χώρου κειμένην, μοῖράν τινα φέρεσθαι τῆς τούτου δὴ τοῦ ἀνέμου δυσκολίας συμβαίνει. Ταύτην Διομήδης ποτὲ ὁ Τυδέως ἐδείματο.

f. 267. & 268. Quem locum Procopii F. Leander Alberti in describtione Italiæ adnotavit. Qui & aliam caussam adfert, putare scilicet aliquos Maleventum dictum â memorabili clade, qua ibi affecti sunt Samnites â Sulpitio & Petilio consulibus Romanis, qua perierunt samnitum ad xxx millia ut narrat Livius: Hoc urbis nomen ominosum mutatum postea fuit in Beneventum cum pulsis prioribus incolis & novis eò colonis missis,

ſis, vetus nomen hi averſarentur, hocque auſpicatius videretur, ut notat Plinius, *l. 3. c. XI.* quaſi ſibi ipſi de novæ ſedis felicitate gratularentur, ut interpretatur F. Leander Alberti dicto loco. Meminit huius rei & Feſtus: Beneventum, inquit, cum colonia deduceretur, appellari ceptum eſt, melioris ominis cauſâ, namque eam urbem incolentes antea Græci *μαλοέντιον* dixerunt. Idem factum eſt Epidamno Illyrici Urbi, (fuit enim & alia hoc nomine urbs in ſinu Ionio, ut docet Stephanus: Ἐπίδαμνος, *Procopius l. 1. VVandalico-* inquit, πόλις Ἰλλυρίδος ἐπὶ χερρονήσου τῆς κα- *rum Eam quæ* λουμένης Δυρραχίου, ἔστι δ' ἑτέρα ἐν τῷ Ἰονίῳ *in Ionio ſinu* κόλπῳ) Quæ primum Dyrrachium poſt *eſt Dyrra-* Epidamnus diceretur, mutarunt Romani *chium dicē* tamquam ominoſum & vetus illi reddide- *vult: quē* *vide p. 92.* runt. Pomp. Mela: *Urbium prima eſt* *lib. 2.* *Oricum, ſecunda Dyrrachium, Epidamnos ante erat, Romani nomen mutavere, quia velut in damnum ituris, omen id viſum.* Plinius etiam: *In orâ verò Dendâ civium Romano-* *l. 3. c. 23.* *rum Epidamnum colonia propter inauſpicatum nomen â Romanis Dyrrachium appellata.* Eadem habet Strabo & Procopius ac Livius: *l. 9. VVan-* Sed potuit & Epidamni vox â græcâ origine *dal. 1. Dec.* eſſe, puta â δαμνάω quod idem quod δαμάω *5. lib. 3.* vel δαμάζω. Plautus ſane hunc vocabuli

*Menathen. sc. Nulla est.* metum salsè ridere videtur more suo solens in Comediâ: Ita enim inquit:

*Ita est hæc hominum ratio hic Epidamniæ*
*Voluptuarii atq; potatores Maximi*
*Tum Sycophantæ & palpatores plurimi*
*In Vrbe hac habitant: tum meretrices mulieres*
*Nusquam perhibentur blandiores gentium.*
*Propterea huic urbi nomẽ Epidamni censũ est,*
*Quia nemo fermè huc sine damno divortitur.*

*lib. 1. Antiq.* Idem fatum fuit Urbis in Sicilia antiquissimæ, quæ â conditore primum Ægesta dicta fuit: Historiam describit Dionysius Halycarnasseus his verbis. *Laomedonte rerum in Ilio potiente, cum quidam nobilitate clarus, cuius nomen non exprimitur, ab eo descivisset, reus capitis cum omni virili stirpe condemnatur. Filias verò eius, quæ plures erant, cum hinc indecorum eas necare, inde Trojanis nuptum dare minimè tutum Regi videretur, in Siciliam per mercatores deportari peregrinos jussit. Delatus forte fortunâ fuerat in eadem navi adulescens quidam claro Phrygioq; genere etiam ipse ortus, qui unius ex virginibus amore correptus, matrimonio illi jungitur, simulq; in hanc Sicanorum regionem, quæ Drepana eo tempore dicebatur, deportati benignè ab Insulanis excipiuntur, ubi cum aliquandiu sine sedibus habitassent, mulier illa infantem*

*peperit, qui, quod inter sylvas & capras fuisset editus Ægestus est appellatus. Hic postea monitus ab Ænea Urbem condidit & Ægestam appellavit.* Cui narrationi consentiunt Cicero & Strabo. De hac Urbe Festus: *Segesta quæ nunc appellatur, oppidum in Sicilia est, quod videtur Æneas condidisse præposito ibi Egesto, qui eam Egestam nominavit.* Sed præposita est ei S litera, ne obscœno nomine appellaretur, ut factum est in Malevento & Epidamno. Eam ipsam, cum virium suarum divitiarumque fiduciâ pòst ab Agathocle Siciliæ Rege descivisset, iratus victor oppidanis omnibus apud fluvium Scamandrum interfectis, exsulibus transfugis omnique id genus turbâ replevit & Dicæopolin appellavit, innuens eo modo justo se judicio in improbos cives animadvertisse, sparso in futurum terrore, ut scribit Diodorus Siculus. Restat Nequinum Vmbriæ oppidum antiquissimum, quod coloni in eam â Romanis ducti tamquam infame nomen mutarunt in Narniam, auctor Livius: cuius verba: *Ita Nequinum in ditionem Populi Rom. venit, coloniâ eo adversus Umbros missâ, â flumine Narnia appellata.* Eadem habet & Plinius & Itinerarium Antonini.

*6. in Verr. lib. 6.*

*lib. 20.*

*Decad. 1. lib. ult.*

Quare

Quare autem hoc oppidum antiquitus Nequinum? Rationes afferuntur duæ, una: sic dictum ab iniquitate loci in quo situm, quam & Livius ostendit d. l. Alter Consul Apuleius in Umbriâ Nequinum oppidum circumsedit: locus erat arduus - atque in parte unâ præceps, ubi nunc Narnia sita est, nec vi nec munimento capi poterat. Silius item Italicus: Dicitur enim ei

*--- duro monti per saxa recumbens*
*Narnia.*

Notavit & Martialis:

*Narnia, sulphureo quam gurgite candidus amnis*
*Circuit ancipiti vix adeunda jugo.*

Altera caussa â moribus petitur civium: Scribitur enim; cum arctissimè ab hostibus essent obsessi, animadverterentq; aut fame sibi pereundum, aut deditionem faciendam, ut hoc posterius & illud quoque malum evitarent, tertium consiliũ suscepisse, & occisis prius liberis, uxoribus, matribus, sororibus, omnique sexu sequiori aut infirmiori, se postea quoq; ipsos peremisse, inde propter abominabile hoc factum Nequini nomen oppido impositum idque antiquissimum librum Manuscribtum qui inibi asservetur, docere. Ita F. Leander Al-
p. 102. berti. Neque verò hoc cuiquam mirum
videri

videri debet, nam & plures urbes ex civium
moribus nomina ſortitas legimus: Sic Acti-
ſanes Æthiopum Rex, Ammoſi Ægypti
Tyranno devicto, prædones regni perve-
ſtigatos, cum nec occidere nec impunitos
dimittere vellet, naribus reſectis in ultimas
deſerti oras deportavit, & oppidum conſti-
tuit Rhinocoluram appellans ἀπὸ τοῦ συμ-
πτώματος τῶν οἰκητόρων, ut loquitur Diod. Si-
culus ab inhabitantium qualitate ſeu cala-
mitate: meminit eius & Strabo Seneca Pli- *l. 12. l. 3. de*
nius & alii Strabo & aliam rationem addit: *ira c. 20.*
ὡς οὐκ ἂν ἔτι τολμήσαντας ἀναιρεῖν διὰ τὴν
αἰσχύνην τῆς ὄψεως: temperaturos poſthac â
latrociniis ob faciei fœditatem. Talis fuit
Philippopolis â Philippo Amyntæ filio
condita ſupra Byzantium, ubi gens Aſto-
rum, vel ut Livius, Aſtiorum habitat, quæ
& πονηρόπολις dicta eſt: rationem Strabo
reddit: Ὑπέρκειται δὲ τοῦ Βυζαντίου τὸ τῶν *lib. 7.*
Ἀστῶν ἔθνος ἐν ᾧ πόλις Καλύβη φιλίππου τοῦ
Ἀμύντου, τοὺς πονηροτάτους ἐνταῦθα ἱδρύσαντος:
Superjacet Byzantium Aſtorum gens, in
qua oppidum Chalybe, in qua Philippus
Amyntæ filius peſſimos quosque colloca-
vit. Vide hic Lipſium ad Tacitum. Talis *3. Ann. c. 28.*
fuit procul dubio & illa quam deſcribit Dio
Pruſæus: ἦν ἐν Αἰγύπτῳ καπήλων πόλις, ὅπου
πάντες κάπηλοι κατῴκουσιν, ὁμόιως μὲν ἄνδρες,

ὁμόιως δὲ γυναῖκες. *Erat in Ægypto urbs quædam sive civitas Cauponum, ubi omnes in habitantes sunt caupones quâ viri quâ mulieres.*



## CAPUT VII.

### *Princeps officialium suorum dignitatem tueri atq; defendere, neq; inobedientiæ auctoritatem subministrare debet.*

INsignis est locus in Tomo I. Discursuum Politicorum in Dissertatione illa
p. 415. nobili Fabii Albergati ad Philippum Boncampagnum Cardinalem S. Sixti Gregorii XIII. nepotem, quâ docet eum rationem curæ Imperii Ecclesiastici: Sic enim inter alia ait: *Neq; profectò parum lucrifacies, si tuos famulos & officiales æstimare & honorare volueris eorumq; dignitatem tueri ac defendere non neglexeris: Nam quemadmodum vestes, etsi frigidæ, à nobis tamen calorem accipientes, corpus nostrum eo caloré, quem dedimus conservant & fovent: ita egregii famuli, etsi per se ipsos Dominis suis nihil ad honorem incremen-*

*ti adferunt, ab ipsis tamen Dominis ad dignitatem evecti & peculiari patrocinio protecti instrumenta sunt & columnæ ad magnitudinem eorum sustentandam, stabiliendam & amplificandem.* Hæc verè â prudentissimo homine dicta & ratio comprobat & usus rerum rationi attestatur. Primum enim dignitas & honor officialium majestatem auget Principis, majestas obsequium: Persarum hoc docuere Reges, qui ut subditis venerabiliores essent, raró se publico dedere, consiliarios verò suos splendidissimo nomine ὀφθαλμοὺς καὶ ὦτα oculos & aures suas appellabant: Auctor præter innumeros alios Suidas: ὀφθαλμὸς βασιλέως, inquit, ἀντὶ τοῦ μέγα δυνάμενος παρὰ βασιλεῖ, οὕτω δ' ἐκάλουν τοὺς Σατράπας δι' ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπισκοπεῖ: ὡς καὶ βασιλέως ὦτα τοὺς ὠτακουστὰς, δι' ὧν ἀκούει τὰ πραττόμενα ἑκάστῳ πανταχοῦ. quæ verba Apuleius interpretatus videtur: cum ita ait: *Inter Persas Aures regiæ & Imperatoris oculi quidam vocabantur, per quæ officiorum genera Rex ille ab hominibus DEUS esse credebatur, cum omnia quæ ubiq; gererentur tamquam ubiq; præsens alienis & oculis & auribus cognosceret.* Romani quoque Imperatores non modò non minuerunt, sed & miri-

*Vid hac de re Brisson. de Regio Persarum Principatu p. 125. & seqq. l. de Mundo.*

mirificè auxerunt majeſtatem Imperii ſui, quod Conſiliarios ſuos & adſeſſores ac Senatores titulis Illuſtrium ac Clariſſimorum Virorum cohoneſtarunt, inviolabiles etiam eos eſſe juſſerunt ex inſigni cauſsâ, quod pars corporis Imperatorii eſſent: Ita enim reſpondent Arcadius & Honorius Impp. AA. Eutychiano PP. *Quisquis ſceleſtam inierit factionem, aut factionis ipſius ſuſceperit ſacramentum vel dederit: de nece etiam Virorum Illuſtrium, qui conſiliis & conſiſtorio noſtro interſunt: Senatorum etiam (nam ipſi pars corporis noſtri ſunt) cogitaverit (eadem enim ſeveritate voluntatem ſceleris, qua effectum puniri jura voluerunt) majeſtatis reus eſto.* Obſequium verò ſic augeri quis neget? nemo enim aut libenter contradicat ei, quem in ſumma dignatione apud Principem videat, nemo etiam facilè peccet adverſus leges, cum tot in oculis & auribus Principis ſe facturum cogitat. Videmus contemni â pueris eos pædagogos, quos Parentes deſpicatui habent, colere verò & obſervare vel nutus etiam eorum, quos & amari & honore affici â Parentibus vident. Idem obtinet in Republicâ aut Principatu, officiales ſuos Princeps charos habet & honoris aliquâ ſignificatione, quam grati ſibi ſint, populo declaret, eos quoque reveretur

*l. Quisquis ſupra ad L. Jul. Majeſt.*

tur

tur magis populus & officium facit promtius Cum hoc verò, de quo diximus, capite proximè cohæret, ut Princeps non facile audiat querelas aut attendat subditorum de officialibus, multò verò minus subitò condemnet & ab administratione commissæ Provinciæ cum ignominiâ repellat, etiamsi maximè mereri videantur: Etsi enim justitiæ speciem & colorem habet animadvertere in iniquos, & populi querelis justis aureis præbere, tamen eâ vehementiâ & fervore alia invehuntur mala, quæ cum hoc bono nullâ ratione componi possunt: Multas adfert Aristoteles rationes in Politicis, quare Leges antiquæ videantur abrogari non solum posse, sed & debere: omnia vero illa bona & commoda deprimit & tollit malum unum, quod fundamentum Reipublicæ subruit & subvertit, nimirum quod facilis illa legum mutatio cives reddat legibus inobedientiores: Eadem inobedientia introducitur crebrâ ista Magistratuum mutatione: Statim enim populus, ubi durius quid præcipitur, parere refugit ad querelas verò confugit, seque exemplis solatur, eorum, quos ante quoq; Princeps suis precibus & querelis victus, officio moverit, spemque concipit & huius evertendi: Vilescit etiam hac ratione au-

ctoritas ipsius Principis. tamquam si judicio in deligendis administris deficiat, aut certè fallatur, quorum malorum utrumque Principi vel maximè cavendum, ne vel inobedientiæ fenestram aperiat, vel auctoritatem suam apud suos in discrimen adducat. Vidêre hoc duo maximi Principes, & â quorum prudentiâ, omnes qui deinceps nascentur, haurire satis, si velint, possunt, Carolus V. Rom. Imperator Pater & Philippus II. Hispanus Filius. Quorum ille, cum regno Neapolitano Proregem dedisset Petrum Alvarez Toletanum Virum elato ac vehementi ingenio, & Nobilitati nimia severitate gravem, duo ex primoribus Nobilitatis regni Ferdinandus Sanseverinus Salerni regulus & Vastii Marchio adhibito etiam Andreâ Auriâ summâ contentione apud Carolum, cum bello Tunetano confecto Neapoli hiemaret, egerant? uti Toletanus ê provinciâ revocaretur, eum enim esse: qui bonis omnibus offensus venalia omnia haberet, quique dissolutione & ignaviâ regnum florentissimum in pace eversurus, in bello amissurus esset: Sed Cæsar contra inimicorum, uti rebatur, criminationes, hominis, quem adeo extulerat, dignitatem

tatem sibi tuendam existimans, illum in imperio confirmavit. Confirmatus Toletanus omnem iram & potentiæ suæ vim, judiciis severis faciendis & delictis acriter puniendis in nobileis effudit. Inquisitionem tamdem in Regnum inducere conatus est, inde ortâ seditione Legati ad Carolum missi: quos P. Consalvus â ProRege missus antevertit, aureisque Cæsaris præoccupavit: Is tunc temporis in Germania Victor, ne, qui legem victis dare solitus esset, â suis accipere videretur: quamvis multa verè â Neapolitanis in Toletanum dici persuasus esset, cum tamen existimaret, quantum de suorum præfectorum, secus, quam oportebat, in magistratu se gerentium, dignitate â populis imminueretur, tantum de auctoritate suâ detrahi. ProRegis caussam pro tempore summâ constantia protexit, ut graviter & prudenter Historiam narrat Thuanus: At pòst annis aliquot, cum Senas Gallo eripere vellet, Præfectum ei bello Petrum hunc Toletanum delegit, quem, ut ait idem Thuanus, longo ante tempore inde amovere decreverat, postquam illum præposterâ & contumaci severitate totius penè nobilitatis animos â suo imperio alienasse sensit: (defecerat enim

*Salernitanus & Sangrius.*
*Anno* CIↃ IↃ XLVII.
*lib. 3. Hist.*
*Anno* CIↃ IↃ LIII.
*lib. 12. Hist.*


Salernitanus cùm magnâ nobilitatis parte ad Gallos) ne tamen videretur procerum regni querelis id dedisse, rem distulit, occasionem exspectans, quâ sine injuriâ Virum Illustrem jam ætate confectum & summis honoribus defunctum, honorificæ militiæ prætextu, statione illâ omnino abduceret. Non minus insigne exemplum Prudentiæ Filius edidit Philippus II. Hispanus, qui cum annum ætatis jam ageret Septuagesimum pacis & quietis indigus, ideoque appetens: & cum Gallo pacem facere, & Philippo filio, qui nunc Hispaniis imperat, gubernationem committere, seque regnorum tot molestiis & pondere exonerare voluit. Super hoc autem pacis desiderio experiri voluit, quid Consiliarii sentirent, advocato in Consilium etiam filio, & filiâ Infante, illo in bellum prono & tantum non ruente: Consiliarii dicere sententias jussi plures, quod Principi juveni placere animadverterant, comprobare, laudare animi magnitudinem & bellum regno gloriosum docere: At Christophorus Mora veritatis rationem ducens multis iisque accuratis rationibus pacem regno necessariã ostendebat, utque, quibus posset honestissimis rationibus, iniretur, graviter hortabatur. Hæc Moræ oratio mirum in modum

dum Principis adolescentis animum offendit, qui cum videri mallet minus prudens, quam minus animosus, ipso vultu satis ostendit, quam aversaretur eos, qui pacem suaderent. Dimisso itaque Senatu duris & acerbis verbis in Moram invectus, quod eam rem nimis ardenter promovere & obtinere laborasset, quam ipse extremè odisset & aversatus esset, edixit homini, ut continuò ê conspectu discederet, & in posterum ab omni se præsentiâ suâ abstineret. Christophorus Regem Patrem adit, & de Principis irâ adversum se & mandato conqueritur, obiter adspergens miserrimas & Principum esse conditiones, apud quos vera & utilia dissimulare ac supprimere necessum sit, & Consiliariorum, quibus libertas & studium boni publici odium pariat & Principis iram. Rex ei nullum aliud verbum respondit, quam: Obtempera, prudentiâ communi longe excellentiore. Mandatum enim filii comprobat, quamvis injustum, ne auctoritatem eius judicio suo in contemptum daret, neve inde populus existimationem, quam de successore suo conceperat, diminueret. Christophorus demisso capite recedit, tristis quidem ob gratiæ regiæ jacturam, firmus tamen & erectus conscientiâ rectè voluntatis. At mox

Rex Principem ad se vocat, monetq; graviter, quam non rectè faciat, veteres suos ministros, tam leviter, se vivente & præsente penè nullam aliam ob caussam, quam quod consilia ad eius imaginationes nollent conformare, gratiâ suâ abdicando. Rem esse mali ominis de regno eius, dum, præter quod auctoritatis suæ nodos dissolveret, eam viam instituisset, in qua etiam prudentissimi Principes aberrarint, & eos facti postea pœnituerit. Et quamvis mandatum Christophoro Mone datum, ut injustum & impetuosum sibi vehementer displicuerit, revocare tamen noluisse, ne inobedientiæ exemplo auctoritatem faceret, velle tamen, ut in continenti hominem ad se revocaret, & in pristinum gratiæ ac favoris locum integrè restitueret, cogitaretque Consiliarios Principis debere esse liberos, sententias liberas, veritatem liberam, pessimos contra eos esse & censeri debere, qui consilia sua ad eius, cui danda sunt, voluntatem magis quam utilitatem accommodant. Ita Princeps â Patre edoctus prudentior factus, & Christophorus confestim in gratiam receptus memorabili ad omnem posteritatem exemplo, quod nec satis deprædicare potest Petrus Matthæus Historicus Gallus.

*Hist. Narr. 1. l. ip 7 & 8.*

CAP.



# CAPVT IIX.

## *Amici inimicus num & nos inimici esse debemus.*

GRavis est hæc Disputatio & intricata admodum, an cum amici mei inimico possim amicitiam colere, salvâ interim amicitiâ, an verò debeam easdem cum illo inimicitias exercere. In quâ si consuetudo & mores seculi attendantur, posterius omnino faciendum est, & sine caussâ amicitia deserenda, suscipiendæque inimicitiæ cum iis, quibus amicus noster inimicus esse cepit. Intuere Historias. Novius Priscus, *Tacit. Ann.* quod Senecæ, cui Nero infensus erat, ami- *15. c. 71.* cus permaneret, non solum gratiâ Neronis excidit, sed & exilio mulctatus est. P. *l. 16. Annal.* Gallus etiam quod Fenio Rufo intimus & *c. 12.* Veteri nōn alienus fuerat, aquâ & igne prohibitus ab eodem est Nerone : Exempla aliorum plurima congessit Gruterus noster eruditissimo in Tacitum indice : Et Cicero tamquam jure quodam hoc *lib. XI* exigit ab Attico, cum inquit : *Epist. 10.*

*Ego verò rogo te, ut eos, qui mihi tam crudeliter inimici sunt, si odisse non potes, accuses tamen: non ut aliquid proficias, sed ut me tibi charũ esse sentiant.* Quid quod Leges quoq; Romanæ in hanc sententiam propendere videntur. Ita enim Imp. Constantinus ad Claudium præsidem Provinciæ Daciæ: *Si mater inhonestis factis atq; indecentibus machinationibus filium forte obsedit, insidiisq; eum vel clandestinis vel manifestis appetiit, vel inimicis eius suas amicitias copulavit, atq; in aliis sic versata est, ut inimica eius potius, quam mater crederetur: hoc probato: etiam invita acquiescat filii voluntati.* Et Martianus JC. *Si accusatio alicuius publicè instituta sit, non est compellendus accusator ad eum legationem suscipere, qui se amicum dicit vel domesticum eius, qui accusatur* & ita Divi Fratres Æmylio Rufo rescribserunt: Atque huc respiciens Segestes ita alloquitur Romanos: *Non hic mihi primus erga Populum Romanum fidei & constantiæ dies: ex quo à Divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosq; ex vestris utilitatibus delegi.* Verum hanc sententiam quamquam usu communi comprobatam, numquam probare potui, videtur enim servilior esse & in ipsam amicitiam injuria: Cur enim ei renunciem amicitiam qui nullâ re me læsit? aut cur non huius potius

*l. liberi C. de inoff. Testā.*

*l. Sciendum § si accusatiō ff. de Legation.*

ami-

amicitiam conſervem & alteri renunciem? Cum enim uterque eorum, qui nuper inter ſe cepere eſſe inimici, mei fuerint amici, idem jus exigere à me videntur: Deinde, quare non potius vel ideo vetera tuear amicitiæ jura, ut liberius reconciliationem inter diſſidentes procurem? Quid ſi deniq; juſtus metus me cogat in amicitiâ inimici tui perſeverare, qui plus nocere mihi poſſit quam tibi. Poſſum igitur & tibi & inimico tuo amicus eſſe, ſine tamen tuo incommodo aut conſpiratione contra te. Et ſic etiam Jura interpretor, adjutus ab Vlpiano, qui ſtatuit: Libertum ſi ſit aut fiat amicus inimicorum Patroni, non offendere ut puniatur, niſi & conſpiraverit cum illis contra Patronum: ſicut nec filius exhæredari poteſt, ſi converſetur ſolum cum inimicis Patris, nihil autem hoſtile attentet, ut inquit Iaſon: Cicero etiam ab affectibus liber aliter & ſenſit & locutus eſt: *Erat*, inquit, *æqua lex & nobis, Iudices, atq; omnibus qui noſtris familiaritatibus implicantur, vehementer utilis, ut noſtras inimicitias ipſi inter nos geramus, amicis noſtrorum inimicorum temperemus*: quæ verba longè aliter interpretor, quam Gothofredus & quidem ex ipſo Cicerone. Ita enim in Epiſtolâ ad Antoniũ disertè ait: *Accedit, ut ne in ipſum quidem*

*l. 1. § cum Patronus in fi. ff. de Off. Præf. Vrbi.*

*Oratione pro L. Corn. Balbo.*

*lib. 14. Ep. ad Attic. Ep. 15.*

*Clodium meum insigne odium fuerit umquam : semperq; statui ita, non esse insectandos inimicorum amicos, præsertim humiliores.* Exemplum denique huius rei præbuit luculentum & insigne Augustus Cæsar, quod ut Seneca describit subjungam. *Timagenes,* inquit, *Historiarũ scriptor quædam in Augustum, quædam in uxorem eius & in totam domum eius dixerat, nec perdiderat dicta, magis enim circumfertur & in ore hominum est temeraria urbanitas. Sæpe illum Cæsar monuit, ut moderatius linguâ uteretur : perseveranti domo suâ interdixit. Postea Timagenes in contubernio Pollionis Asinii consenuit, ac totâ civitate dilectus est. Nullum illi limen præclusa Cæsaris domus abstulit : Historias postea, quas scripserat, recitavit & combussit, & libros acta Augusti Cæsaris continentes in ignem posuit. Inimicitias gessit cum Cæsare: nemo amicitiam eius extimuit, nemo, quasi fulguritum, refugit. Fuit, qui præberet tam altè cadenti sinum amicus Augusti, Pollio. Tulitque hoc Cæsar patienter, ne eo quidem motus, quod laudibus suis rebusque gestis manus attulerat. Numquam cum hospite inimici sui questus est, hoc duntaxat Pollioni Asinio dixit :* θηριοτροφεῖς. *Paranti deinde excusationem obstitit, Fruere, inquit, mi Pollio, fruere, & cum Pollio diceret: Si jubes,*

*Cæsar,*

*Cæsar, statim illi domo meâ interdicam: Hoc me, inquit, putas facturum, cum ego vos in gratiam reduxerim. Fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus: nec ullam aliam habuerat caussam desinendi, quam quod Cæsar ceperat.* Quod si jubemur extra caussas odii, nihil detrahere virtuti inimicorum, quare, nullâ datâ causâ, odisse eum debemus, qui constans est in amicitiâ colendâ, quales nostros amicos esse volumus? Commendat Philostratus Æschinis integritatem quod cum Orationem in Ctesiphontem Rhodiis legisset, illiq; mirarentur eum in tali Oratione subcubuisse & carperent Athenienses tamquam injustos: dixerit Nulla vos admiratio teneret, si Demosthenẽ contrà orantem audivissetis nam iis verbis non modo inimici laudem constituit, sed & Judices accusatione liberavit. Plutarchus item factũ Neronis: nec imeritò, quod paullò ante q̃ Thraseã necaret, quem maximè metuebat, ac proinde pessimè etiam oderat, conquerenti cuidã iniquam in suâ causâ â Thraseâ latam fuisse sententiam, responderit: Vtinã verò ita me amaret Thraseas, ut optimus est judex: & addit ibidem: *Ego sanè virum bonum aut in Rep. versantem & inimicis justa in causâ testimonium perhibere jubeo, & in judicio eos contra calumniatorem tueri, alienisque* ab

*lib. de vitiis Sophistarum in eius vitâ*

*In Præc. gerendæ Reip.*

*ab eorum animi instituto criminibus fidem denegare.* Denique diffidentiæ signum & pusillanimitatis esse videtur, si inimico nostro omnes amicos eripi velimus: quod si enim justa nitimur adversus inimicum caussâ, si vel agmine toto amicorum circumdatus sit, numquam tamen efficere poterit, ut sua caussa melior sit nostra: Sic Phocion, sic Cato nullos metuebant hostes, cum salutares Reip. sententias popugnarent: sic alii innumeri. At verò illi, qui amici sunt inimicorum, ita se attemperent utrisque, ut suspicioni sequiori locum ne faciant, unicè verò id operam dent, ut illa animorum divortia ac dissidia tollantur, & vetus amicitia redeat atque instauretur, quod si obtinere id nequeant, studeant tamen affectus impotentes & hinc & illinc coercere, ut inimicitiæ veluti ratione quadam geri videantur, neque cupiditates effusis velut habenis proruant, & exitium Reip. secum trahant. Talem fuisse inter Ciceronem & eius inimicos Atticum multæ Ciceronis Epistolæ loquuntur, evidentissimè autem Epistola ix lib. xi, ex qua liquet, Ciceronem ob inconsultam temeritatem amicè castigatum & ad moderatiora consilia manuductum. Sed & de hoc Problemate nunc satis.

CAP.



# CAPVT IX.

## *Præceptores, seu Pædagogi omni honore & benevolentiâ digni.*

DIvini prorsus sunt versus Iuvenalis, quibus DEOS immortales affatur: *Sat. VII.*

*DI majorum umbris tenuem & sine pondere terram*
*Spiranteisq; crocos & in urnâ perpetuum Ver:*
*Qui Præceptorem sancti voluere Parentis*
*Esse loco.*

Nam quare non omni afficiantur honore illi, qui benè vivendi nobis duces sunt, quâ ratione â brutis & brutescentibus sejungimur animalibus, non vitâ, quam Parentibus debemus, quæ nobis cum brutis & inferiori quoque naturâ communis est. Id quod præclarè vidit ac testatus est Philippus Macedo in eleganti illâ suâ ad Aristotelem Epistulâ. Fuere autem olim pueris additi Pædagogi & Præceptores: Pædagogi erant illi qui quoquoversum comitarentur Pueros & mores eorum regerent ac componerent,

*Sic Plinius l. 3. Ep. 3. Puero in hoc lubrico ætatis non præceptor*

*modo, sed cu-stos etiam rectorq; quærendus.*

rent, dicta ac facta animadverterent, culpanda culparent, laudanda verò commendarent. Præceptores verò erant, qui in artibus & literis eosdem erudirent. Plautus talem Pædagogum tribuit Pistoclero Lydum: Alexandro Pædagogus Leonidas fuisse videtur: ita enim de eo Plutarchus: *Diis adolenti liberius Alexandro & sæpius thus corripienti Leonidas Pædagogus: sic, inquit, largiter tibi, fili, adolendum erit, ubi thuriferam regionem in potestatem tuam redegeris: Quam objurgationem Alexander altè animo infixit: Potitus enim eâ pòst regione, per literas sic compellavit: Talenta aliquot thuris & casiæ tibi mitto, ut me thuriferæ etiam regionis dominum factum sciens, sordidus ergæ DEOS esse desinas.* Hi Pædagogi sicut & Præceptores Servi olim domestici ut plurimum erant, maximè autem Pædagogi: Docet perspicuè Plautus de Lydo: & Leges Romanorum. Maximè l. Cal CasiI quæ ita concepta est. *Cal CasiI non est recepta sententia existimantis & hæredi & legatario remittendam interdum proprii servi manumittendi necessitatem, si usus tam necessarius esset, ut eo carere non expediret, veluti dispensatoris, pædagogive liberorum.* Lex item Vlpiani 15. §. Comitem ff. de injuriis: Ubi ita Ulpianus: *Comitem accipere debemus eum, qui comitetur & se-*

*In Bacchid.*

*l. 35. ff de Fideicomm. libert.*

*l. Item ap. Labeonem.*

*& sequatur, &, ut ait Labeo, sive liberum sive servum: Inter comites verò utiq; & Pædagogi erunt. Et Pædagogia pro mancipiis accipere videtur illi officio, quod diximus, destinatis, idem Ulpianus etiam alibi;* quamquam ibi per Pædagogia cœtus servorum puerorum aliqui intelligi contendunt: quomodo Ammianus Marcellinus pueros Pædagogianos dixit. Plinius fortasse rectius & Seneca de cœtu puerorum nobilium, qui Principibus â ministeriis deinceps essent, ubi moribus commodis imbuti fuissent. Etsi vero Servi essent Pædagogi aut Præceptores statu & nascendi conditione, tamen & dilecti fuerunt â Dominis & in honore etiam habiti: quæ res fecit postea, ut superbius etiam avariusq; se gererent. Suetonius ita in Augusto: Pædagogum ministrosq; Cai filii per occasionem valitudinis mortisq; eius, superbè avarèq; in Provinciis grassantes, oneratis gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen. Et objicit hanc superbiam Lydo suo Pistoclerus, cum ait:

*l. Quæsitum est 12. § si instructum 32. ff de instruct. vel instrum. leg. lib. 26.*

*Omitte Lyde ac cave malo:*
*Iam excessit mihi ætas ex magisterio tuo.*

Claudi' etiam Imperator de suo Pædagogo queritur, imperiosũ nimis fuisse & plagosũ quemdam Orbilium: Ita enim Suetonius:

*Dis*

*Diu atq; etiam post tutelam receptum, alieni arbitrii & sub Pædagogo fuit, quem Barbarum & olim superjumentarium*(hoc est jumentis præpositum, ut eruditè Casaubonus) *sibi appositum, ut se, quibuscumq; de caussis, quàm sævissimè coerceret, ipse quodam libello conqueritur.* Boni tamen Pædagogi & Boni Præceptores semper bonis discipulis & gratis dilecti & ab iis omni officiorum ac beneficorum genere affecti : ipsisque adeo placuit vox Senecæ : *Quia Præceptor in docendo monendoq; me laborem & tædium tulit, præter illa, quæ præcipientibus in commune dicuntur, aliqua instillavit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desidiam. Tum ingenium latens & pigrum, injecta, ut ita dicam, manu extraxit, nec quæ sciebat malignè dispensavit, quò diutius esset necessarius: sed cupiit, si posset, universa transfundere : Ingratissimus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.* Talis fuit in Leonidam & Aristotelem Alexander, quorum illum ut avunculum aut certè propinquum matris & coluit semper & eius monitorum libenter recordatus est, ut videre est apud Plutarchum, sed & honestissimè semper habuit: Istum verò ut numen quoddam veneratus est & regiis muneribus prosecutus. Masurium

*l. 6. de Benef. c. 16.*

*In vitâ Alexandri.*

rium

rium Sabinum cui non amplæ erant facultates, (ut solet, secundum Petronium, bonæ mentis soror esse paupertas) â discipulis & Auditoribus ut plurimùm sustentatum Pomponius scribit: De M. Antonino Philosopho Imp. laudatissimo hoc quoq; constat ex Historicis eum, ut Præceptoribus optimis est usus, ita & gratissimum erga omnes Discipulum fuisse, è quibus tantum Cornelio Frontoni detulit, ut statuam etiam ei â Senatu peteret: Vniversim autem omnibus magistris suis tantum honoris habuit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulchra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret. Cui nescio an illustrius exemplum respondere possit, quam Hadriani Trajectensis: Quem cum Maximilianus I. Imp. Carolo nepoti literarum & virtutis Præceptorem addidisset, pòst, ubi Carolus armorum studio ductus, maturius scholasticas disciplinas deseruit, primum & avi & nepotis commendatione Ferdinando Catholico Hispaniæ Regi innotuit & Episcopus Dertusensis fuit designatus. Post Ferdinandi mortem eorumdem intercessione â Leone X. Cardinalis titulo Pammachii SS. Iohannis & Pauli creatus est. Inde Maximiliano mortuo cum Carolo in Germaniam ad capessen-

*l. 2. § Primus ff. de Orig. juris.*

*M. Alfonsus Ciacconius Biacensis in vitis & gestis Pontificum sub Hadrian. VI. p. 1085. Exempl. Romani.*

dum imperium eundum esset, quem in absentiâ Hispaniæ Gubernatorem constitueret, neminem suo Præceptori Hadriano præferendum censuit. Leone tamdem X. mortuo, non adquievit Carolus priusquam ad summum in terris fastigium eumdem proveheret, usus ad eam rem fideli opera Pompei Columnæ & Iulii Medicis Cardinalium nobilissimorũ & Illustrissimorum, qui, post multas contentiones, XXXVII Cardinalibus in suam sententiam pertractis, Romæ ignotum â tot Candidatis longissimo intervallo sejunctum externum atque Germanum inter tot Senatores Italos tamdem Papam renunciarunt Anno Salutis CIƆ IƆ XXII. V. Eid. Ian. Quod grati animi studium erga Præceptorem facilè inter maximas Caroli V. Imp. Augusti laudes suum quoque locum & nequaquam postremum tueri potest: cuius etiam exemplo Principes incensi de suis in juventute formatoribus morumque præfectis ac Præceptoribus præclarè mereri discant. Neque verò Discipulis solùm convenit in oculis & animo ferre ac colere suos institutores: sed & publicè interest, ut â Magistratibus & Principibus eorum ratio habeatur, constetque claris & evidentibus argumentis, Reipublicæ commodis operam eorum necessa-


cessariam esse & proinde minimè negligendam. Itaque ad laudem hoc pertinet Augusti & æternam eius gloriam, quod de ipso commemorat Suetonius: Magnâ quondam sterilitate ac difficili remedio, cum venalitias & lanistarum familias, peregrinosque omnes exceptis Medicis & Præceptoribus, partemque servitiorum urbe expulit. Medicos videlicet & Præceptores retinuit, quorum opera & corpori melius & animo civium rectè esse solet, quos conjungit etiam Seneca eo, quem supra laudavimus, loco. Porrò, ut concludam tamdem, ita putarunt JCti affectum hunc erga Præceptores Discipulorum animis impressum esse debere, ut â naturâ ipsâ inseri iisdem crederent: id quod duplici potissimum indicio nobis aperuerunt: primum quod beneficia quę Discipuli in Præceptores conferunt, Donationes appellari noluerunt sed remunerationes, quasi jure naturæ exigente debitas: Donari ěnim videtur, quod nullo jure exigente conceditur, ut inquit Papinianus in l. Donari. & in l. Aquilius paullo ante ff. de Donat, ita inquit: Aquilius Regul⁹ juvenis ad Nicostratū rhetorē ita scribsit: *Quoniam & cum Patre meo semper fuisti, & me Eloquentia & diligentiâ tua meliorem reddidisti, dono & permitto tibi habitare*

In vitâ Aug. c. 42.

l. 29. ff. de Donat.

*in isto cænaculo, eóq; uti. Defuncto Regulo controversiam patiebatur Nicostratus, & cum de eâ re mecum contulisset: dixi posse defendi non meram donationem esse, verum officium Magistri quadam mercede remuneratum Regulum: ideoq; non videri donationem sequentis temporis irritam esse &c.* Deinde, quod statuerunt Discipulum pro Præceptore non esse posse idoneum testem, propter affectionem & reverentiam, quam ei debet, ut ex Cuma consil. 135. colum. penult. versic. sic præterea cum constet notavit Vir Illustris Tiberius Decianus.

In Tract. criminal l. 3 c 14. 11. 6. & 7.



## CAPUT X.

### *Et festinata nimis & nimis etiam accurata culpâ non vacare.*

VEtus est verbum, sed verum: *Canis festinans cæcos parit catulos.* Idque cernere est in ipsa naturâ primum: *Celerius enim occidit*, inquit Quinctilianus, *festinata maturitas, & est nescio quæ invidia, quæ spes magnas decerpit, ne ultrà quam datum est res prove-*

*provehantur : Itaq; periti agricolæ prohibent frugum præcociam in novellis arbusculis, donec robur quoddam capiant, & radices altius fundum petant & firmius hæreant, adeoq; succus valentior in ramos diffundi queat.* Obtinet hoc & in animi bonis & in corporis : sicut enim corporis robur & statura quando maturius animali & inprimis homini advenit, proxima occasui est aut certè inclinationi: ita, *qui sapit ante pilos, vix sapit ille diu.* Ratio huius rei reddi dari potest hæc: quod præcocia huiusmodi ingenia vitæ & actionum humanarum circulum currendo absolvere cogitant, quem natura gradibus certis absolvi destinavit. In cursu autem, præsertim velociori, & sæpe impingi solet & tamdem ex defatigatione casus provenit. Addatur & altera, quod Sapientia non nisi in sicco habitat, quicumque igitur maturè sapiunt, siccescunt maturè, quæ siccitas signum est deficientis humidi radicalis, quo absumto mors succedit. Atque hoc Plato volebat, cum dicebat animum florescere demum corpore deflorescente. Philo autem nobiscum : *Ut*, inquit, *senes quidam non discunt senescere, sed juventutem quidem egressi, juvenilitatem non egrediuntur : Ita fit, ut seniles quandoq; animæ & perfectæ in florentibus reperiantur & juvenilibus corporibus ante* *libello de Profugis.*

*annos deficientes.* Nocet hæc festinatio plurimum etiam consilijs, ut animadvertit prudentissimus Historicus Thucydides apud quem Diodotus : Δύο, inquit, ἐναντιώτατα τῇ εὐβουλίᾳ : Τάχος τε καὶ ὀργή. *Duo adversissima sunt rectæ menti prudentiq; consilio : Celeritas & ira :* Idem etiam curæ fuisse Augusto ipsius Symbolum comprobat Σπεῦδε βραδέως, Festina lente, & Vespasiano, anchora ipsius cum Delphine pisce, atque hac de re multa erudite notavit Iohannes â Chokier, quibus unum addam ex Cæsare locum, qui de Titurio ita ait : *Tum demum Titurius, uti qui nihil ante providisset, trepidare & concursare, cohortesq; disponere: hæc tamen ipsa timidè, atq; ut eum omnia deficere viderentur : quod plerumq; iis accidere consuevit, qui in ipso negotio consilium capere coguntur.* Deniq; τῶν μουσικῶν ἐπινοιῶν noverca est inimica festinatio. Quod vidit Aristides apud Philostratum, qui jussus â Marco Imperatore dicere de quæstione sive materiâ, quam præpositurus esset subitò, &, ut loqui consuevimus, ex tempore, animosè respondit : Τήμερον πρόβαλε, καὶ αὔριον ἀκροῶ: οὐ γὰρ ἔσμεν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων : hoc est, *hodie propone & cras audies : non enim ex iis sumus, qui vomunt Orationes, sed ex iis, qui cum*

*l. 3. Hist.*

*Thesauri Politici l. 3 c. 20*

*l. 2. de Vitis Sophist.*

*curâ*

*curâ eas meditantur.* Et rationem invenit politissimus Madaurensis : *Nulla res eadem*, inquit, *esse potest festinata, simul & examinata, nec esse quidquā omniū, quod habeat & laudem diligentiæ simul & gratiā celeritatis.* Refert Paulus de Castro, Baldū, cum adhuc puer esset, neq; adhuc capitium imposuisset capiti, argumētatum esse contra Bartolum de casu unius legis producto textu legis Si instituta § finali ff. de inofficioso testam. Bartolumq; stupefactum laudasse ingenium pueri, & in crastinum dixisse se responsurum, quod imitatus est postea sæpe seculi sui Phœnix & eximium juris Romani decus Iacobus Cujacius Biturix : sæpe enim responsiones ad propositas in jure dubitationes rejecit in alium diem, additâ huius sui facti ratione idoneâ & prægnanti : *nolle se auctoritatem tot annis in jure adquisitam, unâ calidâ & festinatâ responsione in discrimen adducere.* Itaq; inter laudes Alexandri Severi legimus apud Lampridium quod jurisconsultis suis semper spatium dederit ad disquirendum cogitandumque, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. Observari hæc velim â juventute nostrâ, quæ se jactat in eo, quod vitio datur â Sapientibus : quot enim hodiè

*Apuleius de Deo Socratis.*

*Hieron. Cagnolus fuisse l. dicit Cum mater ff. eod. Vid. eum in auct. ex caussâ C. de l. Prat. n. 30.*

*in vitâ.*

Triumphos legas scribtis præfixos, hæc mihi nata unius solum aut duorum mensiū spatio, hæc effudi, stans pede in uno, Carmina, ducentos unâ horâ versus. At vero isti miseri non intelligunt, traduci sic scribta sua â seipsis imprudentibus: nam si maximè vulgus ista miretur? quid miri? cuius laus & vituperium in promiscuo habetur â sapientibus: hi τὸ ἓυ respiciunt, multum cum Horatio nihil morantur: at isti τὸ μέγα & molem respiciunt. Philosophus noster Sophistis attribuit celeritatem, qui cum ambitione tamquam fermento tumeant, nihil volunt videri ignorare apud populum præsertim, qui, si quem hæsitabundum super aliquâ re aut meditabundum videat, contemnere solet tamquam indoctum, calidas responsiones, & subitaneas signum doctrinæ existimans.

*Satyr. 4. l. 1.*

Porrò ut festinatio hæc & celeritas ex caussis quas diximus repræhendi merito potest: Ita contrà cura nimia & perpetua dubitatio ac mora vitio quoque non caret. Sicut enim serotini partus & qui diu in nixibus hærent & periculosi sunt & infirmi, ita consilia nimis diu consultata & periculosa sunt & ut plurimum nulli rei, qualia esse solent acriculorum quorumdam, qui disputare & sermocinari magis norunt, quam sua-

suadere, natantque semper in consilijs & tempus sœpe terunt, milium, quod dicitur terebrando. Atqui, ut cordatè olim Lambertus Musca Florentinus ad suos dicebat: *multa ponderando & ubiq; difficultates injiciendo nihil concluditur: res perpetrata caput habet: & deliberationes periculosæ quantò accuratius perpenduntur, eò segnius constitui, suscipiq; solent*, ut loquitur Macchiavellus. Caput autem consilii non est in acumine aut sermonum rationumque copiâ, sed in directâ quadam judicii norma, fitq; ut plurimum, ut sicut celeritas prudentiæ ita mora occasioni nocumento sit: quod præclarè, ut omnia, intellexit Carolus V. Imp. Cunctationem enim animam consilii dicebat, celeritatem exsecutionis, utramque simul junctam quintam essentiam Boni Principis. In literis denique & doctorum Virorum laboribus nimia illa & plusquam accurata diligentia plerumque culpabilis est: Vnde non ineptè Plinius de Amico suo, peccare eum in eo, quia nihil peccaret. Videtur enim communis & plebeiæ indolis esse τὸ ἀδιάπτωτον ἐστὶ, quod de Apollonio Rhodio Critici olim pronunciarunt, denotantes simul plus studii & curæ in eo fuisse, quam ingenii: hoc enim vel maximè commendari solet, ut notatum Achilli Tatio, quam-

*Nicol. Macchiavell. l. 2. fol. 60. & Leonard. Aretinus item l. 2. f. 39. Hist. Florentinæ.*

*lib. 2. Hist. Florent. p. 99*

*Lips. in Polit.*

*Macchiavell. 2. Hist. Flor. p. 34.*

quamquam in alio argumento: Ita autem ille: Τὸ ἀπερίεργον ἥδιον μᾶλλον τοῦ πολυπράγμονος, αὐτοφυῆ γὰρ ἔχει τὴν ἡδονήν. Adfert & aliam huius rei caussam & geminam quidẽ
l. 9. Eplâ 35. Plinius ad Oppium suum: *Diligentiam*, inquit, *tuam in retractandis operibus tuis valdè probo. Est tamen aliquis modus: primum, quod nimia cura deterit magis quam emendat: deinde, quod nos â recentioribus revocat, simulq; nec absolvit priora & inchoare posteriora non patitur*, quam priorem caussam urget in Epistu-
l. V. Ep. XI. lâ ad Tranquillũ: *Perfectum jam absolutumq; est tuum opus, nec jam splendescit lima, sed adteritur.* Adeo videlicet difficile est utrimq; modum servare, cum tam nimiùm offendat quam parũ. Apelles sanè pictores quoq; eos peccare dicebat, qui non sentirent quid esset satis, ut ait Cicero, sive ut Plinius: Apelles de Protogene, cum opus eius immensi laboris ac curæ supra modum anxiæ miraretur, dixisse fertur: omnia sibi cum illo paria esse, aut illi meliora: sed uno se præstare, quod manum Protogenes de tabulâ nesciret tollere, memorabili præcepto, nocere sœpe nimiam diligentiam. Non igitur sine mystico sensu accipi debet Elegantissimum Epigrañia M. Val. Martialis de Crystallinis:

*Frangere dum metuis, frangis crystallina, pec-*
*Securæ nimium sollicitæq; manus.* (cant

CAP.



# DECADIS XII.

## Observationum Historico-Politicarum.

## CAPUT I.

### *Multum ad tranquillitatem Imperii pertinere. Si Princeps aut Magistratus Legibus etiam ipse obtemperet.*

ILlustris est comparatio Principis boni & Tyranni apud Dionem Prusæum, quâ pulchriorem legere nondum memini: ita exactè utrumque depingit, ut nihil accuratius fingi dicive posse arbitrer. Audiamus autem ipsum loquentem: Οἱ πολλοὶ, inquit, τῶν ἐν ταῖς δυναστείαις, ὅτι μὲν ἔξεστιν αὐτοῖς πάντα λαμβάνειν, πάντων ἐπιθυμοῦσιν, ὅτι δὲ ἐπ' αὐτοῖς ἐστι τὸ δίκαιον, διὰ τοῦτο εἰσιν ἄδικοι. ὅτι δὲ οὐ φοβοῦνται τοὺς νόμους, οὐδὲ εἶναι νομίζουσιν. ὅτι δὲ οὐκ ἀναγκάζονται πονεῖν, οὐδέποτε παύονται τρυφῶντες. ὅτι δὲ οὐδεὶς ἀμύνεται κακῶς πάσχων, οὐδέποτε παύονται ποιοῦντες. ὅτι δὲ μηδεμιᾶς σπανίζουσιν ἡδονῆς, οὐδέποτε

*Oratione LXII. quæ est de Regno & Tyrannide.*

οὐδέποτε ἐμπίμπλανται ἡδόμενοι, ὅτι δὲ οὐδεὶς ψέγει ἐκ τοῦ φανεροῦ, οὐδὲν ἀπολείπουσι τῶν μὴ δικαίως λεγομένων. Ὅτι δὲ οὐδεὶς αὐτοὺς βούλεται λυπεῖν, διὰ τοῦτο πᾶσι χαλεπαίνουσιν, ὅτι δὲ ὀργισθεῖσιν ἔξεστι πάντα ποιεῖν, διὰ τοῦτο συνεχῶς ὀργίζονται. Ὁ δὲ ἀγαθὸς ἄρχων πάντα τἀναντία ἐπιτηδεύει: οὐδενὸς μὲν ἐπιθυμεῖ, διὰ τὸ πάντα οἴεσθαι ἔχειν: φείδεται δὲ τῶν ἡδονῶν, διὰ τὸ μηδεμιᾶς ἂν ἀπορῆσαι ὀρεχθείς: δικαιότερος δὲ τῶν ἄλλων ἐστὶ, ἅτε πᾶσι παρέχων τὴν δικαιοσύνην, ἥδεται δὲ τοῖς πόνοις, ὅτι ἑκὼν πονεῖ. Ἀγαπᾷ δὲ τοὺς νόμους, ὅτι οὐ δέδοικε. καὶ ταῦτα ὀρθῶς ὑπολαμβάνει. Τίνι μὲν γὰρ φρονήσεως δεῖ πλείονος, ἢ τῷ περὶ τοσούτων βουλευομένῳ? τίνι δὲ ἀκριβεστέρας δικαιοσύνης ἢ τῷ μείζονι τῶν νόμων? τίνι δὲ σωφροσύνης ἐγκρατεστέρας, ἢ ᾧ πάντα ἔξεστι, τίνι δὲ ἀνδρείας μείζονος, ἢ τῷ πάντα σῴζοντι? hoc est, *Multi eorum, quibus imperare aliis datum est, quia ipsis omnia licet accipere, omnia concupiscunt: & quia in eorum manu & arbitrio jus est, iniqui sunt: & quia Leges non metuunt, itaq; nec esse eas autumant: quia item laborare non coguntur, ideo numquam cessant deliciari: quia etiam nemo mala ab illis passus vindictam sumere audet, ideo numquam penè ab injuriis & maleficiis abstinent: quia porrò una ipsis rara est voluptas: ideo nec exsaturari quidem aut impleri voluptatibus possunt. Præterea,*

*quia nemo ipsos apertè reprehendere aut vituperare audet : ideò nihil eorum facere intermittunt, quorum causâ jure culpari & male audire possint : Quando etiam molestus nemo ipsis est, illi omnibus molestiam exhibere & passim in omnes sævire nihil verentur : Deniq; quia irâ turgescentibus & furore correptis quidvis designare licet : perpetuò irascuntur & furunt. At bonus Princeps contrariis per omnia studet : Quia enim omnium se putat esse Dominum, nihil concupiscit : abstinet omni voluptate, quia nullâ non potiri potest, si appetat. Iustior est etiam quam privati, quia omnibus se justitiam exhibere debere novit. Delectatur etiam laboribus, quia sponte non coactus laborat : diligit etiam & colit leges, quia vim earum non timet aut pœnam. Hæc autem omnia rectè sibi persuadet : Cui enim majori opus est prudentiâ, quam qui summis de rebus semper deliberare necesse habet? cui accuratiore justitiâ, quam ei qui supra leges est? cui continentiâ modestiore, quam cui omnia licent? cui deniq; majore fortitudine, quam qui omnium salutem procurare & conservare commissi muneris ratione tenetur.* Hactenus Dio. Ex qua comparatione quamquam plurima salutariter decerpi possint : unum tamen ex illis seligere mihi hoc loco visum, quod de Legibus monet : ait enim Tyrannum, qui legum vinculo &

metu

metu ſe non conſtringi exiſtimet, ideo tantâ licentiâ vivere, quaſi nullæ prorſus leges eſſent, quæ præciperent honeſta, vetarent contraria: adeoque unam ſibi imaginatur legem: Quidquid libet, licet. Bonus verò Princeps etſi ſcit ſupra leges ſe eſſe, tamen ſibi ipſi lex eſſe vult, & ad quæ metu pœnæ legibus ſancitæ humiliores compelluntur, ad ea ſeipſum virtutis amore excitat, unice que operam dat, ut lex ſubditis lata ſit ſpeculum & imago vitæ ſuæ. Peſtilentiſſimum igitur eſt dogma quorumdam aulicorum, qui perpetuo Principum aures radunt dicterio communi: An neſcis te Principem eſſe leges dare tuis, non accipere? Apage venenum hoc generoſorum animorum & alia mone magis ſalubria. E quibus primum illud ſit Apolloni apud Philoſtratum: Δεῖ τὸν Νομοθέτην, ἃ πέπεικεν ἑαυτὸν, ταῦτα ἐπιτάγματα ἐς τοὺς πολλοὺς ποιεῖσθαι. *Oportet Legumlatorem ea, quæ facienda aliis imperare vult, ſibi ipſi ante perſuadere*, ſive, ut Paul⁹, JCtus, *par eſt, eum qui leges facit, pari majeſtate legibus obtemperare.* Iniquum enim eſt ab alio exigere, quod non impetres abs teipſo. Deinde illud quoque monitum eiuſdem Apolloni Principi tuo inſtillabis: Νόμος, ὦ Βασιλεῦ, καὶ σοῦ ἀρχέτω: σωφρονέστερον γὰρ νομοθετήσεις,

*Iulia Aug. ad Ant. Caracallam ap. Spartianum.*

*lib. 1. c. 13.*

*l. 4. Sent. c. 4*

*lib. 5. c. 13.*

ἢν

ἂν μὴ ὑπερορᾷς τῶν νόμων. hoc eſt, *Lex tibi etiam Rex dominetur: Eris enim in illis ferendis moderatior, ſi nec tibi eas negligendas exiſtimaveris* In quo primum repetit quod ſuperiori monuerat: nimirum ſi Princeps cogitet ſibi ſecundum leges vivendum, fore illum parcum & modicum legum conditorem & earum tantum, quarum obſervatorem ſe eſſe poſſe confidat. Deinde, inquit, Reip. conſulet: Ut enim multi medici ſignum ſunt ægrotantis civitatis, ita legum illa multitudo temerè introducta ſignum eſt ægrotantis Reip. & non niſi corruptiſſimâ Rep. plurimæ leges. Plures autē leges â nemine feruntur, quam ab eo, qui minimùm ſecundum eas vivere præſumit: Notavit hoc in Republicâ Romanâ, Tiberii temporibus, Tacitus: *Ut*, inquit, *ante hac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur.* Eſt tertio loco & hoc cavendum Principi, ne idem de ipſo feratur Elogium, quod Gn. Pompeio idem Tacitus tribuit, quod fuerit idem ſuarum legum & auctor & ſubverſor, quod fieri facilè poteſt, ſi præſertim gravior remediis eſſe velit adverſus tranſgreſſores, quam exiſtimentur fuiſſe delicta. Inſurgens enim populus indignitate commotus, quæ Princeps per vim & armis tueri conatur, armis ei eripit

*Arceſilaus ap. Laertium.*

*3. Annal.*

& ad alia consilia nolentem & invitum cogit: qui contra nihil sibi grave aut intolerabile putat, in quo præire sibi Principem exemplo videt.

*Publica nimirum tum res sibi constat & æquum*
*Imperium, cum Rex, quod jubet, ipse facit.*

Propter has & alias caussas consimiles summi quoque Principes & Legum latores sanctissimè leges observandas sibi putarunt. Exempla passim loquuntur historiæ: & vivunt hodièque commendantur ex eâ laude Lycurgus apud Plutarchum, Charondes ap. Valerium Maximum, Diocles apud Diodorum Siculum & alii: complures etiam ex recentiori memoriâ æternâ nominis sui famâ factitarunt. Ego capitis concludendi causâ duo notabilia ex Historiâ Veneta adjiciam. Erat apud Venetos Senatus consulto cautum, ne quis, pro veteri Ducario (sic aulam Principis vocant) instaurando, ad Patres referre auderet, mulctaque Ducatorum mille ei irrogabatur, qui legi non pareret, quæ statim â Triumviris Advocatoribus exacta fisco applicabatur. Tum Princeps Thomas Mocenicus publicæ majestatis potius quam privati commodi ratio-

P. Iustin. Hist. Ver. lib. 6.

rationem habens, id aurum pro mulcta in Senatum secum secretò attulit, ac Patres rogavit: vellentne juberentque ipsam humilem informemque Ducariæ sedis faciem sumtuosiore ornatu in decus publicum instaurari. Id ubi Triumviri Advocatores promulgatum audiêre quia contra SCtum Princeps egisse videbatur, ab eo statim publici decreti transgressore mulctam petierunt, eâ Mocenicus solutâ continuò, â susceptâ eousque non destitit actione, donec, lege abrogatâ, Senatus juxta Principis voluntatem Ducarium instaurandum censuit, atq; ita veteri opere disjecto, sumtuosius aliud ceptum est erigi. Eodem Encomio ornatus & Andreas Vendraminus item Venetiarum Dux famosissimus numero LXXI, is enim ne filio quidem in crimine depræhenso pepercit, sed lege in illum animadverti jussit, nullo Principalis Dignitatis & fastigii habito respectu, ut refert Petrus Justinianus. Sed de hac materia satis. *Hist. Ver. lib. 9.*



# CAPVT II.

## *Beneficentia Principis Virtus propria.*

SIcut in superiori capite ex insigni loco Dionis illustre decerpsi monitum : ita nunc aliud mihi suppeditat Eusebius quoque libro insigni in Hieroclem scribto, quem commendabit omnibus literarum bonarum studiosis vel hic, quem adferam locus: Ὅροι, inquit, φύσεώς ἐστιν, ἀρχὰς, καὶ μέσα καὶ τέλη τῆς τῶν ὅλων οὐσίας περιειληφότες, μέτρα καὶ δεσμοὺς ἅπασι, δι' ὧν τὸ δὲ τὸ πᾶν μηχάνημά τε καὶ ἀρχιτεκτόνημα τοῦ παντὸς κόσμου τελεσιουργεῖται. Διατεθεῖναί τε νόμοις ἀλύτοις καὶ δεσμοῖς ἀρρήκτοις, τῆς τὰ πάντα οἰκονομούσης προνοίας τὸ πάνσοφον βούλημα διαφυλάττοντες. Οὐκοῦν κινήσειέ τι καὶ μετατεθείη τῆς τάξεως τῶν ἅπαξ διατεθειμένων. Κεκράτηται δ' οὖν δεσμῷ φύσεως τὸν θεῖον ὑπεραναβαίνειν νόμον πᾶς, ὅτῳ τις θρασύτερος τῶν ἐπέκεινα βαίνειν ἔνεστι πόθος. οὔτ'

*qui Apollonium Christo pr[æ]ferre non refugerat.*

οὖν

οὖν παρὰ φύσιν ὁ ἔνυδρος ἐπὶ τὴν χέρσον μεταβὰς βιῶναι δυνήσεται ἰχθὺς, οὐ τὸ ἐν χέρσῳ τραφὲν, τοῖς ὕδασι καταδύσεται, τὴν ἐκεῖσε διηνεκῆ μονὴν ἀσπαζόμενος: οὐ μέγα πηδήσας μετεωρός τις τῶν ἐπὶ γῆς, ἀρθήσεται πρὸς ἀέρα, ξυμπεριπολεῖν αἐτοῖς ἐπιθυμῶν. Καὶ μὴν κἀκεῖνοίγε, κἂν ἐπὶ γῆς ἔλθοιεν, βείσαντες ἐπὶ τὸ κάτω τὴν δύναμιν, καὶ τοῦ πτεροῦ χαλάσαντες τὴν φύσιν. ἐπεὶ καὶ τούτοις θείοις ὥρισται νόμοις, τοῦ ὕψους τὸ μετέωρον ὑποκαταβαίνειν δύνασθαι, οὐ μὴν καὶ ἔμπαλιν τὸ ταπεινὸν καὶ γεῶδες ἐπὶ τὸ μετέωρον αἴρεσθαι. Ταύτῃ δὴ καὶ τὸ θνητὸν ἀνθρώπων γένος ψυχῆς μετέχον καὶ σώματος, ὅροις περιγέγραπται θείοις. Οὔτ᾽ οὖν τῷ σώματι δι᾽ ἀέρος ἔλθοι ποτὲ τῶν ἐπὶ γῆς καταφρονήσας διατρίβων μὴ οὐχὶ τοὐπίτιμον αὐτίκα τῆς ἀνοίας παρασχὼν, οὔ τὴν ψυχὴν ἀρθεὶς φρονήματι καθίξεται τῶν ἀνεφίκτων ἢ μελαγχολίας νοσήματα ἂν περιπέσοι. Hactenus Eusebius. Docet autem eleganter his verbis: esse naturales quosdam terminos, qui universæ substantiæ Principia media & fines circumplexi, modos certos & leges Universo præscribant, quas transgredi, naturæ sit injuriam inferre aut vim facere. Eæ enim leges, illique termini, inquit, nexibus indissolubilibus

firmissimè cohærentes, Providentiæ gubernantis sapientissima decreta custodiunt & observant. Haud igitur quidquã umquam temere moveat quisquam eorum aut commutet, quæ â Naturâ ita semel destinata, disposita atque constituta sunt. Omnis enim, quem Cupido paullò ardentior subibit, ultra naturæ leges se ferre, quo minus id facere possit, iisdem legibus coercetur. Neque enim pisci permissum diu extra suas aquas vivere, neque animali terrestri diu morari in aquis, aut ut extollendo se levandoque ê terrâ in altum in aere suspensum hæreat & cum aquilis in nubibus conversetur, conceditur, etsi vel maximè appetat: cum tamen volatilium sit ad terram descensus, alarumque vim perpetem & cursum ibidem sistere possint. *Ita videlicet divinis Legibus sanctum est, ut summa imis per descensum communicent, non tamen quod humile ac terrenum est in sublime continuò se tollat.* Eâdem ratione mortalis homo cum sit ex anima & corpore constitutus, iisdem quoque terminis coercetur: ita ut nec aerem terreo gravique corpore peragrare quisquam contendat, tamquam terrestres semitas aspernatus, si maximè tentare audeat, meritas insaniæ pœnas daturus: neque vanâ opinione mentem subvectus inae-

inaccessas animo vias quæret, nisi atra bile
percitus insaniat. Ex quâ eleganti Dispu-
tatione duo potissimum in usum nostrum
converti possunt: Unum est, ut intra ter-
minos, quibus & DEI providentia & ipsa
nos coercuit & constrinxit Natura consi-
stamus, neque altiora aut majora viribus
affectemus. De quo cum in Superiori- Decad.2.c.3.
bus jam dixerimus, hîc illud transmitte-
mus. Alterum est quod summa imis per
condescensum communicare dicit naturæ
veluti lege quadam: quo monito Principes
& quotquot DEI benignitas in eminentio-
ri loco, dignitate & fortunâ constituit, offi-
cii sui commonefiunt, ut inferioribus con-
descendendo se comunicent: quod fieri po-
test modis multis, omnium autem maximè
comitate & beneficentiâ. Comitas, in
admissione & alloquio consistit: Lauda-
bile verò semper Principibus, faciles inter-
pellantibus aditus præbere, nec de occupa-
tione caussari, ut olim Ausonius dicebat.
Quam virtutem unicè amavit Trajanus ve- Panegyr.
rè Optimus: de quo Plinius: *Nulla apud* Gratiani.
*eum in audiendo difficultas, nulla in respondendo* Panegyrico.
*mora, audiuntur statim, dimittuntur statim*: &
ab eâ nobiles alii complures: Miltiades, Ar-
taxerxes Mnemon, Augustus, Pompei' Ma-
gnus, Vespasian' & Titus filius, Adrianus &

 Patrum

Patrum atque avorum ævo Maximilianus I, Carolus V. Impp. & Franciſcus I. Gallus, de quo Principes Italiæ dicere conſuevere : Il Re Franceſco la Gentillezza e corteſia del mondo. Decet hæc facilitas & affabilitas non ſummos tantum Principes, ſed & eos, qui vel Principum loco ſunt, hoc eſt judices vel eorumdem adminiſtri : Vnde cum æternâ gloriâ Conſtantini Imp. celebratur lex eius ſive Conſtitutio, quæ relata eſt

*Vid. l. 1. C. Theod. de Rectoribus Provinciarũ.*

in Codicem Theodoſianum : *Non ſit,* inquit, *venale judicis velum, non ingreſſus redemti, non infame licitationibus ſecretarium, non viſio ipſa Præſidis cum pretio* & quæ ſeq. Alterius generis peccatum quoque frequens eſt, dum Aulici claudunt Principem, ut pretio vendant alloquium eius, cuius farinæ fuit Vetronius Thurinus Alexandri Severi apud Lampridium & Zoticus Heliogabali apud eumdem. Sed de hac re plura, qui volet, videat apud. Ioh. Chokierum in Aphoriſmis Politicis.

*lib. 4. c. 8.*

Omnium vero maximè Beneficentia erga inferiores, decet Principes, per quam condeſcendunt verè iis & auxiliarem porrigunt manum. Vidit hoc Syneſius : cuius elegantia hæc ſunt vêrba : Τὸ εὖ ποιεῖν ἓν τοῦτο μόνον

ἔχουσι

ἔχουσι κοινὸν ἔργον Ἄνθρωπος καὶ Θεὸς ἡ δὲ μίμησις οἰκείωσίς ἐστι, καὶ συνάπτει, πρὸς ὃ μιμεῖται τὸ μιμούμενον: *Beneficentia una commune hominis & DEI opus est, quo solo DEUM homo æmulatur: Imitatio autem talis copulat & conglutinat quasi hominem æmulantem & eum, quem æmulatur, DEUM.* Vidit Gregorius Nyssenus, qui Beneficentiam κρηπῖδα & fundamentum appellat Principatuum & imperiorum. Fuere tales olim quam plurimi, quorum gloria nullis temporum spatiis obliterabitur, inprimis autem Titus Vespasianus, deliciæ & Amor Generis humani exinde appellatus: qui recordatus quodam die super cœnam, nihil â se eo die cuiquam præstitum, memorabilem illam meritòque laudatam vocem edidit: *Hunc quidem diem, ô Amici, perdidimus.* Memorabile non minus id est, quod de Petro IIX. Portugalliæ Rege, Alfonsi IV. filio, prodidit Duardus Nonius, eum frequenter monuisse cubicularios suos, ut cingulum sibi laxarent, ne corpore presso aut constricto non posset manũ extendere, ad benefaciendũ videlicet aliis. Laudi etiam datum Francisco I. Gallo, quod ut Franciscus stigmata in manib' haberet, ita ille quoq; pertusas haberet man', quę nihil retinerẽt, sed effunderẽt & ad alios deferrẽt. Cau-

*In libello de verâ Regum Portugall. Genealogiâ T. 2. Hist. p. 1262.*

Cautela tamen adhibenda in dando, ne ita detur, ut dari diu non possit. *Quid levius*, inquit Cicero, *quam id agere, quod diutius agere non possis?* Pulchrè Philippus ad Alexandrum: Quid tibi ista profusa largitas confert? per quam Macedones non te Regem suum, sed ministrum & præbitorem putent, quod sordidum esse Regi non ambigis. Tanta sit ergo in Principe liberalitas, quæ teste Didymo ad Alexandrum, in largientis incommoda non retundet, quæ nescia sit pati dispendium, ne paullò post idem sit egens, qui fuit largiens, rideatque qui accepit, lugeat, qui donavit: Eâ etiam moderatione pensentur beneficia, ut, quod transfunditur, non minuat, sed augeat donantis majestatem: quomodò facem vides, quanto plura inde succendas, tanto commendabiliorem recipere luminis & splendorem & facultatem, ut eleganter disserit

*p. 4. Hist. Hisp. c. 38. p. 429.* Rodericus Santius. Neque enim volucrum genus cum in terram se demittit, revolandi amittit facultatem, sed expeditius etiam remigio alarum subvehitur iterum,

& liquidum secat aera pennis.

Caput

# CAPVT III.

## *Bachanalia repræhensa & ostensum sæpe ludum in luctum verti.*

QVamquam nemo vir bonus dubitavit umquam, Diabolum insidiari generi humano omnib' modis & studiis, ut â Deo conditore suo abducat & præceps in exitiũ agat tamen nusquam evidentius id declarat, quam circa Bacchanalia sua, ubi cum homo maximè ad DEUM redemtorem suum converti deberet, quia circa illud tempus redemtionis nostræ opus cepit & gloriosè deinceps peregit: longissimè ab eodem nos abducit, & ad omnem turpitudinem ac protervíam, quasi signo sublato vocat atque propellit juratus ille noster hostis, tumque adeò *sua cuiq; voluptas*

> *Fit DEVS & venter Iove majus numen habetur.*

Quin etiam cum membra lasciviæ desunt, faciem incipimus vestire, omni humani-

tatis exſuto ſenſu ingenuoque devorato pudore, & larvæ eſſe malumus aut quodvis ex Dauniâ & Getuliâ monſtrum, quam homo: futurasque improbitatis aut etiam imminentes pœnas obviâ feſtivitate præoccupamus, fœdamusque DEI imaginem, ea obſcœnitate, quam, ſi dei juſto judicio immiſſa nobis fuiſſet, omnibus modis velare & operire ſtuderemus, quodque miſerrimum erat futurum, ſi incidiſſet, optatur, adſumitur, & lœtitiæ veluti materia quæritur in ſupplicii calamitate. Quam inſaniam noſtram etſi ſacræ damnant literæ, quarum vox â peccando nos avertere debebat, fruſtra tamen ſunt, & nos omnia penè ipſius virorumque bonorum monita clauſâ ac ſurdâ transmittimus aure. Vnde nonnumquam DEUS ipſe vindex ſuæ majeſtatis lœſæ eſſe ſolet, & inſaniam noſtram coercere atque in ordinem redigere conſuevit. Exemplum Gallia ſuppeditat. Temporibus enim Caroli VI. cum hic mente & ratione per intervalla laboraret, adminiſtratione regni & publicorum negotiorum in Patruos derivatâ voluptatibus alebatur: itaque quotquot ſoluti publicâ occupatione poterant, juniores inprimis, intimâ Regis familiaritate utebantur, & ad oblectandum illum

illum aut nova ludorum luſuumque oble-ctamenta ipſi adinveniebant, aut obſe-cundabant qualiacumque excogitanti ut & illud: Adulta virgo nubebat nobili & in aulâ gratioſiſſimo adoleſcenti, nocturniſque ludis Rex cœtero ornatu depoſito, vultu in leonini oris imaginem perſonato, reliquum corpus pice delibutum, multoq; lino depexo, ac in villos confecto ita con-texit, ut hiſpidi ac ſemiferi portenti ſpe-ciem ſpectantibus præberet ipſe, eodemq; habitu quinque præterea nihilo ſanio-res in cœtum Principum matronarum vi-rorumque prodeunt, in orbemque reſte datâ choreas pedibus plaudunt, feſcenni-no carmine modulantes. Tota ex Regiâ concurſus fit ad picatorum ſpectaculum, Aurelianenſis ſtudio clarius viſendi cor-reptam facem propius admovit. Scin-tilla ex eâ Regem forte incidens, repen-tinum in omnes illos effuſâ flammâ conflavit incendium. Duo inopes au-xilii conſiliique pertinaci conflagratione miſerabili ululatu periere, toſti fœdoque nitore. Duo inter manus elati, cum triduum animam traxiſſent, expiravere: unus ruens in propinquam Promi cellam, aquâ vinoque ſe perluens, ſalutem ſibi peperit. Concurſu ad Regem facto,

uxor

uxor Biturigis Regem antequam ad vivum
flamma jam corpus lambens pervenisset,
veste, ut caudata, fluxaq; erat, involvit ac
ignem restinxit. Aurelianensis errorem
imprudentiamque excusans, crimine se li-
l.14.p. 243. beravit: Hæc Paulus Æmylius. Iacobus
Majerus in Annalibus Flandriæ pluribus
circumstantiis hanc historiam describit:
cuius verba addo: *Quinto Cal. Februar.*
*die Martis mediâ nocte factus ille ludus Lutetiæ,*
*in quo silvestrium hominum specie, moreq; Sa-*
*tyrorum quinq; nobiles choream ducebant, Re-*
*gemq; ne satis insanire viderentur, ita perso-*
*natum secum habebant: sed jocone an dolo ma-*
*lo Aureliani facem in illos jactantis, combusti*
*sunt ex eis quatuor. Regem autem quædam*
*nobilis mulier complexa, chlamyde suâ incen-*
*dium restinxit. Erant enim omnes nudi, præ-*
*terquam quod villos lineos pice sibi haberent*
*ita agglutinatos, ut silvestres viderentur esse vi-*
*ri. Carolus Pictavus, Iohanus Flissus, Comes*
*Iuniacus periere, quarti absumti nomen non in-*
*venio. Quintus cui Manterello nomen,*
*aquam forte nactus mortem evasit. Hæc stul-*
*titia, quæ post Gallos natos nulla major, in ædibus*
*Reginæ, in suburbano D. Marcelli contigit,*
*quæ ædes ob eum casum demolitæ sunt. Au-*
*relianus se excusavit, dolum deprecatus, sed jo-*
*cum confessus. At quum magnus esset Re-*
*gni*

*gni affectator, mala suspicione non caruit. Et Uxor ejus Valentina veneficiis mentem Regi excantasse ferebatur, ideoq; aulâ abstinere jussa est.* Hæc Majerus. idem verò prorsus contigisse nostro seculo legimus, anno videlicet salutis CIↃ IↃ LXX in arce VVartenburgâ apud Eberhardum Comitem Hohenloensem in ipsis Bacchanalibus: Ubi cum & ipsi Comites & eorum ministri quoque personati vestibus lineis multâ stuppâ, pice, resinâque adglutinatis Gynecæo delicias facere vellent: Puer quidam incautius agens flammâ corripitur, eamque in corpore sentiens opem aliorum implorat, cui Eberhardus Comes opitulaturus, eodem malo corripitur, & sic in ordinem cœteri, quo incendio Gregorius Tubingensis, Albertus & Eberhardus Comites Hoenloenses in ipso flore ætatis interierunt, reliqui per fœminas vestibus earum laxis involuti ab exitio servati sunt, Estque manifestius indicium iræ divinæ illud: quod tum contigisse quoque scribunt. Metuentes enim Comites, id quod factum postea est: jusserant ad aulam labra aquâ impleri & alia vasa plena eôdem collocari, ut ad casum insperatum, qui tamen contingere posset, præsto esset medela. Sed, quid fit? dum maximè opus erat aqua, vel effluxerat omnis,

*lib. 10.*

*Theod. Zvving. in Theatro Hist.*

omnis, vel justo DEI judicio in vasis exarserat:

*Discite* ergo *vel tamdem sapere & non temnere Divos.*

*Nic. Macchiavell. l. 7. Hist. Flor.*

Porrò non multum ab his diversum iræ divinæ indicium Florentia quoque sensit: Quo cum Galeacius Mediolanensium Dux unâ cum Conjuge voti exsolvendi caussa, cum universâ aulâ concessisset, ibique eo splendore exceptus fuisset, qui & tantum Principem & tam nobilem Rempublicam decebat: inter alia & varia multoque apparatu adornata spectacula in ipsa quoque Spiritus S. æde missio Paracleti ad Apostolos oculis spectatorum objiciebatur, quasi & locus is esset, qui voluptatibus hominum servire deberet, & ea materia, quæ, velut in scenâ Poetarum somnia & figmenta, traduci mereretur. Non tulit hoc ἔκδικον Διὸς ὄμμα sic transire, sed cum multis res facibus ageretur, subito exortum incendium, quo tota illa ædes conflagravit, & prurientem illam otiosorum hominum spectandi libidinem inhibuit, atque ad DEI indignationem

nem leniendam compulit. Velimque adeò hodièque Exemplum hoc altius animo infigi, inscribique, ut Poeta ait, μνήμοσιν δέλτοις φρενὸς: cum videmus passim salutis & redemtionis nostræ mysteria in scenam produci, more, ut ne quid gravius dicam, parùm relligioso. Sed & aliàs sœpe luctum ex ludo consequi videmus, & multis id Exemplis sacræ quoque literæ testantur: Quam enim derepente Philistæorum voluptas in luctuosissimum desiit exitium, cum captivo & excoecato Simsoni illusum convenissent? in quam amaritiem conversum est mel illud luxuriosissimi epuli in quo Rex Belzaser ex sacris Templi Hierosolymitani vasis cum suis adulatoribus perpotabat? ut jam sileam alia id genus complura passim occurrentia in sacris Exemplis. In Galliâ mors inopina Regis Henrici, quam acri felle festivissimas nubtias temperavit? De quâ cum alias dictum, attigisse hic sufficiat: Illud adjiciam quòd in eâdem Galliâ contigit Anno Sal. CIↃ IↃ XLVI. Hiemabat tum Franciscus Magnus Galliæ Rex ad Guidonis rupem, nivesque prææltæ erant, ex eâque occasione præcipui

*Æschyl. Prometh.*

ex

ex nobilitate juvenes castellum constru-ctum hinc Delfino duce, cumquo Aumalius & Santandreanus erant, oppugnabant; inde Francisco Borbonio Angiano propugnante, militaris obsidionis imitatione tuebantur. Eo in certamine occultâ nixâ inter Duces ex æmulatione subortâ, ludum mox ea in luctum vertit. Nam dum Angianus post solutum certamen, nihil cogitans, ut paululùm respiraret, in areâ palatii ad parietem sederet, arca ex superioribus fenestris, eorum, qui cum Delfino erant, jussu, ut creditum est, sed inscio Delfino, demittitur, qua ille cervice elisâ oppressus est, maximæ spei juvenis & jam in illâ ætate nobilis Carinianâ victoriâ: summo cum dolore Francisci Regis, quem mortem hanc secundum filiorum mortem ægerrimè tulisse testatur Iac. Aug. Thuanus scribtor Historiæ nobilissimus.

lib. 2.

Caput



# CAPVT IV.

## *Quid maximè splendidam & ornatam reddat Civitatem; & de ædificiorum luxu.*

VIrtutem in Civitate ad internum eiusdem splendorē plurimum facere, communis est omnium rectè sentientium consensus : quid verò ad Externum earum splendorem maximè faciat, nondum convenit inter omnes : Fuerunt enim & sunt hodièque, qui maximè eum consistere putant in Civium forma & statu, robore videlicet virorum & pulchritudine fœminarum, ex quorum conjunctione cives provenire necesse est & robustos simul & omnibus membris decoros. In qua sententiâ fuisse Aristoteles videtur, qui diligentissimè præcipit in librorum Politicorum doctrinâ de rectâ maris & fœminæ conjunctione, propter hanc ipsam caussam, ut egregii cives Reipublicæ generentur. Apol- *l. 4.*
lonius etiam apud Philostratum ἥδιον judicabat πόλιν ἀνδράσιν ἐστεφανῶσθαι, ἢ στοαῖς τε

καὶ γραφαῖς, καὶ χρυσῷ, jucundius & expetibilius esse civitatem viris florere, quam porticibus, picturis aut etiam auro. Aliis verò hoc posterius placuit: & ab ædificiorum structurarumque præstantiâ ac dignitate civitatum urbiumque splendorem proficisci censuerunt: Qui tamen divisi rursum inter se opinionibus, quia publicis operibus Urbis ornatum aliqui adscribsere, alii privatis, alii utrisque: cujus postremæ sententiæ Polemona fuisse video apud eumdem Philostratum. Ita enim ille: πόλιν γὰρ δὴ λαμπρύνει μὲν ἀγορὰ καὶ κατασκευὴ μεγαλοπρεπὴς οἰκοδομημάτων, λαμπρύνει δὲ οἰκία εὐπράττουσα: Civitatem, inquit, forum exornat & magnifica ædificiorum structura, excultissimæ item ædes illustrant. At de Publicis solùm Operibus sensere multi, & cum iis Victruvius quoque, qui ea majestati imperii egregias afferre auctoritates dicit, & Novella Majoriani Imp. quæ in iis omnem Civitatis Ornatum residere testatur. Publica autem Opera sunt: Templa, Curia, Scholæ, Fora, mœnia, propugnacula, Armamentaria, porticus, Bibliothecæ, & id genus alia. Privatorum ædificiorum splen-

*In vitâ eius.*

*In Proemio lib. de Architect.*

*T. 6. De Ædificiis publicis.*

ſplendorem pleriqueomnes, quibus cor eſt, damnant: idque partim Exemplo faciunt, partim rationibus compulſi gravibus & minimè contemnendis: Exemplum favet illis Spartanorum: qui in ædificiis ſuis Rhetram Lycurgi ſive legem obſervabant, quam recenſet Plutarchus: ἑτέρα δὲ, ὅπως οἰκία πᾶσα τὴν μὲν ὀροφὴν ἀπὸ πελέκεως εἰργασμένην ἔχῃ. τὰς δὲ θύρας ἀπὸ πρίονος μόνου, καὶ μηδενὸς τῶν ἄλλων ἐργαλείων. *Altera Rhetra erat, ut quævis domus faſtigium ſecuri haberet fabricatum, fores ſerra, nec alio inſtrumento ullo.* Rationem huius rei duobus verbis attingit Plutarchus cum ait hanc Rhetram κατὰ πολυτελείας adverſus luxum valuiſſe. Plenius ipſe Lycurgus rationem reddit: Latam eam à ſe legem, ut Cives ſui mediocritatem ſervent in omnibus, quæ in domum inferunt, neque poſſidere ſtudeant quidquam eorum, quæ ab aliis magni fiant. Quam cauſſam eleganter evolvit Plutarchus dicto loco: Quod dixiſſe de menſâ ſuâ Epaminondam ajunt: tale prandium non capere proditionem, id primum in mentem venit Lycurgo: talem domum, qualem ille fieri voluit, deliciarum & Voluptatũ non eſſe capacem. Neq; tam ſit ineptus vel amens ullus, ut in

*In Lycurgo.*

penates humiles & rudes lectos argenteis instructos fulcris, stragula purpurea, pocula aurea, & eũ, qui hæc comitatur, splendorem inferre velit: sic igitur Lycurgus æquari ædificio lectum voluit, lecto vestem, huic reliquum apparatum. Et persuasit sane Lycurgus suis quod voluit, quod apparet ex joco mordaci Leotychidæ majoris, qui Corynthi aliquando cœnans quum fastigium ædium magno sumtu structum & laqueatum cerneret, rogasse fertur hospitem; num in eâ regione arbores nascerentur quadrangulæ? salso dicterio luxum Corynthiacum carpens. Eumdem hunc privatorum ædificiorum luxum damnat graphicè admodum Poeta doctissimus M. Manilius: Describens enim indolem sub
l. 5. Cassiopeâ natorum ita canit:

*Artifices auri faciet, qui mille figuris*
*Vertere opus possint, caraq; acquirere dotem*
*Materiæ, & lapidum vivos miscere colores*
*Sculpentem faciet sanctis laquearia templis*
*Condentemq; novum cœlum per tecta Tonantis.*
*Hæc fuerat quondam Divis concessa figura:*
*Nunc quoq; luxuriæ pars est, Triclinia templis*
*Concertant, tectiq; auro jam vescimur auro.*

Vati-

Vaticinatus hoc Favorinus fuerat apud Agellium: *Si proportione luxuria pergit crescere, quid relinquitur, nisi ut stratus auro, argento, purpurâ amplior aliquot hominibus, quam Diis immortalibus adornetur.* Quin & Seneca quâ prisci seculi circa ædificia simplicitatem, quâ sui seculi circa eadem luxum & recenset facundè, & illam commendat, hunc damnat cordatè: *Felix*, inquit, *seculum ante architectonas fuit: cum homines casulis aut aliqua rupe suffossâ, aut exesæ arboris trunco tegebantur, & fortuitis usi sine arte & difficultate naturale sibi inveniebant receptaculum: Ista nata sunt, jam nascente luxuriâ: in quadratum tigna decidere, & ferro per designata currente, certâ manu trabem scindere.* lib. 15. c. 8. Ep. 90.

*Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.*

*Non enim machinationes tectorum supra tecta surgentium & urbes prementium non tecta cœnationum epulas receptura parabantur: nec in hunc usum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravida penderent. Furcæ utrimque suspensæ fulciebant casam spissatis ramalibus ac fronde congestâ & in proclive disposita, decursus imbribus quamvis magnis erat. Sub his tectis habitavere securi. Culmus liberos*

*ros texit, sub marmore atq; auro servitus habitat.* Hunc luxum secundo loco detestabilem facit caussa: Cur enim privati tantas moliuntur structuras? cur tantum impendunt in paucorum hominum & paucorum etiam annorum habitacula? Ambitione videlicet impulsi stultâ & ineptâ Principum & magnatum æmulatione, quæ tantò studiosius & severius coercenda est, quantò graviora secum trahit incommoda: Plura enim audet contra Principem aut Magistratum, qui æmulari opera eius audet, neque civis Reipublicæ commodus est, qui pari jure cum civibus vivere non vult. Itaque suspectarunt semper Principes tales insanorum & luxuriosorum Operum stru-
Decad. 3.c.1. ctores, ut nos superius docuimus. Tertio: effectus & consectarium damnat, Egestas: Multi enim eam insaniam insaniunt struendo & ædificando, ut tandem ad incitas redigantur κατάχρεοι γενόμενοι, ut loquuntur Polybius & Athenæus διὰ ταύτην τὴν πολυτέλειαν, qua voce usus su-
c.31. c.37. pra Lycurgus. Exemplo sit Nero apud Sueton: & C. Caligula, & majorum ævo Lucas Pithius apud Florentinos, unde dictum hodieque nobilissimum illud Palatium Pithiorum, quod cum majore animo quam viribus struere cepisset, inter initia

cum pecunia defecit, coactus est Cosmo Medici Hetruriæ tum Potentissimo homini vendere. Accedit quarto loco & illa ratio, quod ædificiorum privatorum splendor ille & sumtuositas effœminat animos civium & ad mentionem etiam hostis dejicit & panico aliquo terrore complet, ad indignissimas etiam cũ iis pactiones adigit, adeoque structurarum suarum conservandarum avidos ad resistendum minus idoneos, ad dedendum verò promtissimos reddit. Imprimis ubi campestres quoque structuras habent, magnificentia & ornatu Urbanis non inferiores. De Florentinis Proterus: *Fiorentini per riscuotere la ruine di quelle tante lore fabriche, hanno spesso volte fatti accordi indignissimi.* Atque hinc olim ab Imperatoribus Romanis modus ædificiis privatis lege definitus, & vetitum ne ultra sexaginta pedes tollerentur sub Augusto, ê quibus sexaginta Nero & Trajanus decem abrogarunt: Estque in Codicem relatus titulus integer de Ædificiis privatis. Prohibeantur igitur ad arbitrium ædificare privati: At Principes & Magistratus, publicis structuris exornare civitatem aut Provincias studeant Augusti Exemplo, qui cum Janum clausisset,

*Suetonius & S. Aurelius victor.*

*lib. 8. tit. 10.*

non aliam habuit se digniorem curam, quam ut Urbem, quam lateritiam acceperat, marmoream faceret. Trajani item, quem ob id Plinius laudat, & inter decora Principis numerat sistere ruinas, solitudinem pellere, ingentia opera, eodem, quo exstructa sunt, animo, ab interitu vindicare: muta quidem illa & anima carentia, sentire tamen & lætari videntur, quod niteant, quod frequententur, quod ceperint esse donum Domini fruentis. Modus tamen etiam â Principibus servetur, qui præscribtus ab aliis, nec hic frustra repetendus. Non debeo etiam præterire alium Urbium splendorem, quem Homines Martii maximè & bellicosi commendare & omnium structurarum magnificentiæ præferre solent. Eum ex colloquio Philippi Macedonis Patris cum Alexandro filio apud Dionem animadverti. *Quid*, inquit Philippus, *ô fili, non Regem etiam jubes habitaculum præparare, exornatum auro & ebore & electro rebusq; pretiosis* : Cui filius. *Per me sanè alii*

*In Panegyrico.*

*Vid. P. Greg. Tholos. & Chokierus & alii.*

*Ædificent auro, sedesq; ad sidera mittant.*
*Ego verò malim Urbem meam exsuviis hostium & armis eorum ac spoliis exornare: sicut & templa DEORUM: Hectorisq; id exemplo: qui, provocans ad duellum optimum*

*Orat. secun. de Regno.*

*quemq;*

*quemq; Achivorum: Si, inquit, victor ego evasero, cadaver commilitonibus reddam:*

Τεύχεα συλήσας, οἴσω ποτὶ ἴλιον ἱρήν
Καὶ κρεμόω ποτὶ νηὸν Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο.

*Arma adimam referensq; domum patriosq; penates,*
*Illa sagittiferi suspendam in Apollinis æde.*

*Omnino enim melior hic ornatus locis sacris quam Smaragdorum & Sardiorum & Onychorum. Quare nec Athenienses sic admiror propter sumtum & impensam in civitatem & templa, quantum propter majorum ipsorum facta à quibus habet civitas gladium Mardanii & Laconum scuta, & eorum qui olim in Pylo capti sunt, multo honestiora & meliora anathemata & cultus, quam sunt propylæa arcis & Olympion, quæ pluris quam decem millibus talentûm constant,* Hæc ibi & multa alia pulcherrima Alexander.

## CAPVT V.

### *Iuniorum etiam scribta non statim abjicienda.*

ZEnoni Cittiæo consulenti Oraculum, quo pacto vivere optimè posset re-

ſponſum hoc datum legimus, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, ſi mortuis concolor eſſet: quod cum ille intellexiſſet, totum legendis antiquorum libris & omni ſe ſtudio dedit, certus illius, quod apud Dionem Pruſæum legere memini: Οὐ τοὺς παλαιοὺς λόγους, ὥσπερ φαρμακὰ παλαιὰ, διαπνεύσαντας ἀπολωλέναι τὴν δύναμιν: Antiquos videlicet ſermones, non ita, ſicut antiqua Pharmaca, ſpiritu exhalato vim perdidiſſe. Quid quod omnis ab antiquis ſapientia ad nos derivata eſſe videtur, nihilque penè dici poſſe putandum eſt, quod non dictum ſit prius: At verò

*Oratione 13. de Exſilio.*

*Multum, crede mihi, reffert, à fonte bibatur,*
*Qui fluit, an pigro qui ſtupet unda lacu.*

*Mart. l. 9.*

Tale aliquid, inquit Maximus Tyrius, φασὶ τὴν γλαῦκα πάσχειν, πρὸς μὲν τὸν ἥλιον ἀμαυρουμένην, θηρεύουσάν τε ἐν νυκτὶ ἔκπυρον φῶς: Noctuam inquam aliquid tale pati aiunt, quæ cum interdiu ad ſolem caliget, nocte lumen aliquod ab ab igne quærit. Hæc omnia, ut verè dici puto atque præcipi debere juventuti exiſtimo: ita hoc mihi dari tamen poſſe ab incorruptis judicibus arbitror: Juventutis conatus in literis non prorſus damnandos aut abjiciendos eſſe. Docuit nos Exemplo ſuo Diogenes Cynicus,

*Serm. 1. de DEO.*

cus, qui ſitibundus, dum ex Pyræo properat ad Panopis fontem, & poculum ex perâ eximit bibiturus, ſuperveniente Theone famulo aliquo ex agri laboribus itidem ſitiente, &, in defectu poculi, cavis manibus aquam ex fonte hauriente & ſic bibente, viſo eo, ſtatim ipſe quoque poculum abjecit, rationem reddens facti ſui hanc in Epiſtolâ ad Apollexidem: Καὶ οὐκ ἔστιν αἰσχύνη τὸν ἐπιστάτην εἰπεῖν, ὅτι παῖς ἦν ἔτι, οὐκ ἔδει δὲ τὴν εὕρησιν εὔχρηστον οὖσαν διὰ τὴν ἡλικίαν παρελθεῖν, ἀλλὰ προσδέξασθαι: *Neq; enim pudet Præceptorem referre eum, qui puer adhuc ſit, neq; decet inventionem utilem propter ætatem rejicere, ſed grato potius animo accipere.* Quæ ratio in literis etiam noſtris omnino valere debet. οὔτε γὰρ ἡ νεότης ἀπελατέα τουτὶ, καὶ αὐτὴ βέλτιον ἐνθυμηθῆναι ἂν τοῦ γήρως inquit Philoſtratus, *non arcenda eſt adeo adoleſcentia, quaſi non poſſit aliqua rectius ſenioribus percipere.* Antiquum etiam non ſemper melius: hac enim ratione culpam infligere liceret etiam prioribus atq; antiquiſſimis ſeculis, quod inventis frugibus glandes ſpreverint, & repudiaverint arbuta, quod corticibus contegi, & amiciri deſierint pellibus, poſtquam veſtis excogitata eſt textilis, uſu & commoditate ſuccinctior, ut nervoſè diſputat adverſus Gentes Arnobius. Quod ſi nulla

*l. 6. de vitâ Apolloni c. 8.*

*lib. 2.*

nulla foret alia caussa, cur recentiorum monumenta quoque legenda viderentur, tamen vel hæc permovere nos deberet, quòd liberius ea legere liceat, quod in veterum scribtis fieri vix videmus. In horum enim scribta cum incidimus, patimur aliquid humani, & captivum veluti ducimus judicium, aut præjudicio suffusum: non potuisse videlicet eos in quoquam decipi: ἔστι δὲ οὐδεμία βαφὴ δευσοποιὸς οὕτως, ὡς τοῦτο τὸ τοῦ ἄνευ λογισμοῦ πρὸς τὰ τῶν παλαιῶν δόγματα πάθος: οὐ γάρ ἐστι μεταπεῖσαι τοῖς αὐτοῖς ἐντραφέντας: nulla est adeo ineluibilis tinctura, ut hoc quod inferimus in veterum dogmata sine ratione præjudiciũ: cui innutriti si simus, frustra speres resipiscentiam, ut leviter verba Galeni ad propositum immutem. Est & alia ratio, quod
13. Θεραπευτικ. in servitutem non redacta sententiâ nostra dum legimus eos, fieri non raro solet, ut errores eorum etiam animadvertamus, unde fiducia nobis nascitur tentandi similia, acuiturque eâ ratione ingenium: ut cum errorem videmus, veritatem studiosius inquiramus & inventam prodamus & evolvamus. Quis verò ausit suam publicare de rebus difficilibus sententiam, si condemnationis literam scribtis suis mox imprimendam intelligat? Complexus est has ratio-

nes

nes paucis verbis sed nervosis Dio Prusæus: φημὶ δὲ, inquit, δεῖν μηδὲ τῶν νεωτέρων καὶ ὀλίγον πρὸ ἡμῶν ἀπείρως ἔχειν: Αἱ γὰρ τούτων δυνάμεις καὶ ταύτῃ ἂν εἶεν ἡμῖν ὠφέλιμοι, ᾗ οὐκ ἂν ἐντυγχάνοιμεν αὐτοῖς δεδουλωμένοις τὴν γνώμην, ὥσπερ τοῖς παλαιοῖς. ὑπὸ γὰρ τοῦ δύνασθαί τι τῶν εἰρημένων αἰτιάσασθαι μάλιστα θαρροῦμεν πρὸς τὸ τοῖς αὐτοῖς ἐπιχειρεῖν: ἣ καὶ ἥδιόν τις παραβάλλει αὐτὸν, ᾧ πείθεται συγκεινόμενος οὐ καταδεέστερος, ἐνίοτε δὲ καὶ βελτίων φαίνεσθαι. hoc est, *Aio verò, oportere neque recentiorum, quique paullò ante nostra tempora vixere ignarum esse: Quæ enim illi & potuere & præstitere, vel eâ ratione nobis conducent, quia non legemus ea in servitutem redactâ sententiâ, quemadmodum veteres. Ex eo siquidem, quod dictorum aliqua possimus reprehendere, maximè fiduciam sumimus ad conandum similia: sane libentius quisque se illi accommodat, quo cum comparatus non se credit inferiorem, nonnumquam verò etiam superiorem fore.* Et vide mihi artes omnes & scientias hodiè: nonne cum Aristotele dicas ac sentias, ὅτι τὰ πλεῖστα τῶν ἀρχαίων ἧττον διήρθρωται τῶν νεωτέρων: Quod Cicero nimis confidenter reddidit: Certè enim recentissima quæque & correcta & emendata maximè, unde & ille â Veteri Academiâ ad Novam transire non erubuit. Cum Seneca item: Non nega-

*Oratione 18. quæ est de dicendi exercitio.*

*2. Polit. initio Academicarum Quæst.*

negaverim fuiſſe veteres alti ſpiritus viros, & ut ita dicam, â Diis recentes: neque enim dubium eſt, quin meliora mundus nondum effetus ediderit: ingenia tamen omnibus conſummata fuiſſe pernego. Verè enim olim Xenophanes:

Ep. 90.

Οὔτι ἀπ' ἀρχῆς πάντα θεοὶ θνητοῖς ἀπέδειξαν,
Ἀλλὰ χρόνῳ ζητοῦντες ἐφευρίσκουσιν ἄμεινον.

*Non ſubitò nobis monſtrarunt omnia Divi*
*Multa diem & ſtudium vigilans juſſere docere.*

1. ὑγιεινῶν. Quod & Galeno viſum, ita enim ait: πολλάκις ἡρμόσθαι δοκοῦσαν ἀρίστα λύραν, ἕτερος μουσικὸς ἀκριβῶς ἐφηρμόσατο: ſœpe lyram, cuius aptiſſima nerviarum ſeries viſa alius Muſicus accuratius aptavit, & alibi clarius: *Quæ*, inquit, *priores multorum annorum ſpatio invenerunt, poſteriores accipientes, & his addentes, rem complent atq; perficiunt: Neq; verò quidquam detrahitur Veterum gloriæ, ſi & juniores aliquod ſui profectus edant ſpecimen: Addunt enim ſolum quædam iis, quæ Veteres invenere. Semper autem major laus inventionis quam complementi: Facile quippe eſt inventis jam addere aliquid, ut â quam plurimis eſt inculcatum.* Videamus igitur, atq; etiam videamus, ne in nos quoque dicatur id, quod apud Tacitum Romanis exprobrari legimus; ubi de Harminio Gentis noſtræ Princi-

1. Aphoriſm. Comm. 1. Vid. eumd. 2. de Facult. Natural.

Principe loquitur : *Canitur*, inquit, *Harminius adhuc Barbaras apud Gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haud perinde celebris. dum vetera extollimus recentium incuriosi.* contrà autem illud teneamus perpetuâ memoriâ quod Claudianus alicubi:

*Nullas recipit prudentia metas.*

nullas etiam Sapientia : & sunt, quamquam rariores, quis neget? qui sibi illud Cornelianum accommodent:

*Mento canescant alii, nos mente; capillo,*
*Nos animo; facie, nos pectore; tempora certè*
*Virtutem non prima negant, non ultima donant.*

Si quis igitur austerior & πολιός τε κάρη πολιός τε γένειον illud Sophoclis objiciat

Οἱ τηλικοίδε καὶ διδαξόμεσθα δὴ
Φρονεῖν πρὸς ἀνδρὸς τηλικοῦδε τὴν φύσιν?

ei ex eodem Sophocle reponere potest juvenis

Μηδὲν τὸ μὴ δίκαιον: εἰ δ' ἐγὼ νέος
Οὐ τὸν χρόνον χρὴ, μᾶλλον ἢ τἄργα σκοπεῖν.

aut ne τραγικώτερος videatur, ex Menandro dicat:

Μὴ τοῦτο βλέψῃς, εἰ νεώτερος λέγω,
Ἀλλ' εἰ φρονοῦντος τοὺς λόγους ἀνδρὸς ἐρῶ.



# CAPVT VI.

*Multum facere ad perpetuitatem imperii, si non modo Princeps ipse ab injuriâ abstineat, sed & suos severè ab injuriâ probibeat.*

PRincipem ab injuriâ subditorum abstinere debere quam maximè, vetus est omnium Politicorum monitum: sed & illud unicè cavere debet, uti & sui ab omni maleficio & injuriâ abstineant: neq; enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare, inquit nobile illud Capitulum Qui potest: quod monitum inculcarunt olim optimi quique suis Principibus, & qui horum meliores
c. 23. Quæst. 3 studiosè observarunt. Isocrates in Parænesi: *Principatum*, inquit, *adeptus nullius improbi ministerio utitor: nam quidquid ille deliquerit, tibi velut auctori imputabitur*: & Mecænas ad Augustum apud Dionem: *Familiarium tuorum nulli nimiam indulge potentiam, ne in aliquam te repræhensionem conji-*
lib. 52. *ciant: Nam quæcumq; vel rectè vel secus egerint, omnia tibi imputabuntur, talemq; te*

*omnes judicabunt, qualia eos facta exercere permiseris. Inprimis autem potentibus omnibus injuriâ alios afficiendi facultatem adimes: ut si nihil etiam delinquant, tamen nec ideo quasi possint, in culpam & repræhensionem veniant.* Quam verò monitum hoc observatu difficile sit, Plinius docuit: cum enim Principi Optimo Trajano laudem hanc ex merito tribuere vult, facit id his verbis gravissimis: *Est magnificum, Trajane, quod te ab omni contagione vitiorum reprimis ac revocas: sed magnificentius, quod tuos: Quanto enim magis arduum est alios præstare, quam se, tanto laudabilius, quod cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti.* Tiberius autem Imperator ipse indignabundus exclamat miserum esse, cum rectè factorum sibi quisque gratiam trahat, unius invidiâ ab omnibus peccari, & Tacitus de socero suo: *Agricola*, inquit, *domitâ Britanniâ, animorum Provinciæ prudens, simulq; doctus per aliena experimenta, parùm profici armis, si injuriæ sequerentur, caussas bellorum statuit exscindere: â se suisq; orsus, primam domum suam coercuit, quod plerisq; haut minus arduum est, quam Provinciam regere.* Egregiè tamen præter jam commemoratos hoc egere laudatissimi quidam Imperatores, inprimis Alexander Severus. Aurelianus &, quod mireris, etiam

*In Paneg.*

*In vitâ Iul. Agricolæ.*

*lib. 10.*

l. 60. etiam Claudius: De hoc Dio narrat servum eum quemdam suum, quod Virum aliquem Illustrem probro affecisset, in forum missum flagris concidisse. De

In vita ejus. Aureliano autem Vopiscus: *Servos & ministros peccantes coram se cœdi jubebat, ut plerique dicunt, causâ tenendæ severitatis. Ancillam suam, quæ adulterium cum servo suo fecerat capite punivit. Multos servos ê familiâ propriâ, qui peccaverãt, legibus audiendos judiciis publicis dedit.*

In vita ejus. De Alexandro denique Severo multa in hanc rem affert Lampridius: inter alia & hæc: *Si quis*, inquit, *suorum in itinere de viâ in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subjiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationi. aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, gravissimis contumeliis cum diceret: Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? Cum etiam quandam aniculam affectam injuriis â milite audisset, exauctoratum eum militiâ servum ei dedit, quod artifex carpentarius esset, ut eam pasceret. Qui de eo fumum vendiderat & â quodam militari centum aureos acceperat, in crucem tolli jussit per eam viam, quæ esset servis suis ad suburbana Imperatoria iter frequentissimum.* Narrat idem auctor ibidem non minus insigne ejus factum: *Vetronius*, inquit, *Turinus, quem familiarem habuerat Alexander, vel omnia fingendo sic vendiderat.*

*derat, ut ejus, quasi stulti hominis, & quem ille in potestate haberet, & cui multa persuaderet, infamaverat imperium, sicq; omnibus persuaserat, quod ad nutum suum omnia faceret. Deniq; hac illum arte deprehendit, ut quendam immitteret, qui à se quiddam publicè peteret, ab illo autem, Turino, occultè quasi præsidium postularet, ut pro eo Alexandro secretò suggereret. Quod cum factum esset, & Turinus suffragium promisisset, dixissetq;, se quædam Imperatori dixisse cum nihil dixisset, sed in eo pendere, ut adhuc impetraret, eventum vendens: quumq; iterum jussisset Alexander interpellari, & Turinus, quasi agens aliud, nutibus annuisset, neq; tamen interim quidquam dixisset, impetratū autem esset, quod petebatur. Turinusq; ab illo, qui meruerat, fumi venditor, ingentia præmia percepisset: accusari eum Alexander jussit, probansq; per testes omnibus, & quibus præsentibus quid accepisset, & quibus audientibus quid promisisset, in foro transitorio ad stipitem illū ligari præcepit, & fumo apposito, quē ex stipulis atq; humidis lignis fieri jusserat, necavit: præcone dicente: Fumo punitur qui vendidit fumum. Ac ne in unâ tantum caussâ videretur crudelior fuisse, quæsivit diligentissimè, antequam eum damnaret: & invenit Turinum sæpe & in caussis ab utraque parte accepisse, quum eventus venderet, & ab omnibus, qui aut præposituras aut provincias acceperant.*

Hæc de Severo Lampridius, cuius Exemplum si hodiè imitarentur Principes, non tot exaudirentur suspiria miserorum, avaritiâ aulicorum & delusorum & ad incitas etiam redactorum, de iis, qui vendunt eventus etiam auro, interim tamen illis, ut Mantuanus canit

Eleg. 6.

*In longum producere caussas*
*Et lites traxisse diu vindemia quædam est.*

Non venderentur etiam tot Principes hostibus suis, ut hodiè pene in consuetudinem ire videmus. Alexander sanè hac severitate suâ hoc consecutus est, ut ministros haberet non malitiosos, non furaces, non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles: non circumventores sui, non irrisores, non qui illum quasi fatuum circumducerent, aut clauderent, agentes ante omnia, ne quid sciat. Qui cum empti sint, quid sapere possint? sed sanctos & venerabiles, continentes, religiosos, amantes Principis, & qui de illo nec ipsi ridere, nec aliis se aut eum risui esse vellent, qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, nùmquam deciperent existimationem Principis sui, sed amarent. Sed redeo ad propositum: De Theodosio Theodoretus scribit, eum aulam

lib. 5. c. 36.

lam ſuam veluti ſcholam inſtituiſſe, in qua ad pietatem & virtutem omnem ſe ſuosque exerceret, cuius exemplum imitatum quoque Maximilianum I. Imperatorem auguſtiſſimum legimus. Illuſtre admodum, ſed Tragicum Exemplum puniti in aulico delicti, quod ſtatuit Carolus Audax Burgundiæ Dux, recitat Iuſtus Lipſius Vir, dum vixit, inter Doctiſſimos & ſeculi noſtri miraculum, quod apud eum legi poteſt. At Galba repræhenditur â Dione propter neglectum huius moniti circa libertos inprimis ſuos: *Liberti, inquit, ejus delinquebant in multis, eorumq; culpa in ipſum conjiciebatur nam etiamſi ſatis eſt privatis hominibus nullam injuriam facere: tamen Principem providere oportet, ne cæteri faciant, propterea, quod nihil intereſt, qui injuriam patiuntur, â quo eam acceperint. Itaq; Galba licet ipſe nihil per injuriam faceret, tamen quod ſineret illos facere, aut quod ea, quæ ab aliis gererentur ignoraret, malè audiebat.* Cœterum quæ hactenus diximus de prohibendis ab injuriâ aliorum famulis & ad miniſtris, illa quoq; ad liberos & filios extendi debent. Ita enim apud Philoſtratum Apollonius ad Veſpaſianum, παῖδές εἰσί σοι βασιλεῦ, δύο καὶ γενναῖοι, ὥς φασιν: Ἄρχε τούτων μάλιστα· τὰ γὰρ ἐκείνοις ἁμαρτηθέντα σὲ δήπου διαβάλλει:

*In Monit. Polit. l. 2. c. 8.*

*lib. 64.*

*lib. 5. c. 13.*

*Filii duo tibi sunt ô Rex* (Titus & Domitianus) *& hi quidem, ut fertur generosi, ipsis igitur potissimum impera: nam si illi forte aliquid deliquerint, id tuæ culpæ imputabitur & intempestivæ indulgentiæ.* Dictum hoc sibi putavit Charondas olim, qui adulterium filii impunitũ transmittere noluit: Sed poenam cum filio partitus est oculi jacturâ. Mahometes autẽ II. Mustaphæ filii adulterium cum Achmetis Bassæ uxore commissum, quem imperio destinatum amaverat unicè, cæde eiusdem expiavit, faucibus nervo arcus elisis. Magnam etiam singularis justitiæ laudem Antonius Venerius Venetorum Dux LXII ex eo tulit, quod Aloysium filium, damnandũ censuerit eâ de causâ, quod patriciæ matronæ pudicissimæ, cuius amore adulescens deperibat, ædes in mariti invidiam cornu ad januã affixo contaminasset. Cuius ingeniũ æmulat⁹ est postea Andreas Vendramin⁹, ut supra jam notavimus. Heli autẽ indulgentia in sacris, sicut & Romæ Adriani sexti & Paulli Tertl Pontificum, qui ad suorum scelera conniventibus oculis siluerunt, quem exitũ habuerit, Historiæ qua sacræ qua profanæ loquuntur. Concludam hoc caput sanctissimâ constitutione Imp. Constantini, quæ relata est in Cod. Theodosianum: *Si quis,* inquit, *est cuiuscumq; loci, ordinis dignitatis,* qui

*l. 9. t. 1. De Accusat. &*

*qui se in quemcumq; comitum, amicorum vel Palatinorũ meorum aliquid veraciter & manifestè probare posse confidit, quod non integrè atq; iustè gessisse videatur: intrepidus & securus accedat: interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam, & si fuerit comprobatum, ipsemet vindicabo, dicat securus & benè sibi conscius dicat: si probaverit, ut dixi ipse me vindicabo de eo, qui me usq; ad hoc tempus simulatâ integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit & comprobaverit: & dignitatibus & rebus augebo: Ita mihi summâ divinitas semper propitia sit, & me incolumem præstet, ut cupio, felicissimâ & florente repub. P.P. xv Cal. Octob. Nicomed. Paulino & Iuliano Coss.* inscribe. const. 4.

## CAPVT VII.

### *Capitale olim fuisse super Principis salute Chaldæos vel Magos consulere.*

AFferebantur ante annos aliquod ex nobili Europæ regno Quæstiones aliquot de statu & regni illius & fato eiusdem Principis aliorumque Regni Heroum propositæ Diabolo â Religioso quodam famosissimæ Societatis Patre: quas cum legerem, obstupui sanè, ferri hominem illum po-

potuisse, cum olim in Romanâ Republicâ capitale fuerit Chaldæos & Mathematicos super salute & domo Principis interrogare & quidem gravissimis de caussis. Vnde & inter crimina Majestatis semper hoc ipsum. Apud Tacitum Lepida delata simulavisse partum ex P. Quirino divite atque orbo: adjiciebantur adulteria, venena, quæsitumque per Chaldæos in domum Cæsaris. Apud eumdem Agrippina, Lolliæ infensa, quod secum de matrimonio Principis certavisset, molitur crimina & accusatorē, qui objiceret Chaldæos, magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulachrum super nubtiis Imperatoris. Agitur & Scribonianus in exsilium, quasi finem Principis per Chaldæos scrutaretur. Anteius & Ostorius accusati, quasi imminentes rebus & qui sua Cæsarisque fata scrutarentur. Serviliæ quoque Sovani filiæ necem attulit, quæ charitate erga Patrem, simul imprudentiâ ætatis nihil aliud consultaverat, quam de incolumitate domus, & an placabilis Nero, an cognitio Senatus nihil atrox afferret. De T. FL. Vespasiano scribit Suetonius, eum, monentibus amicis, cavendum esse Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur Genesim habere Imperatoriam, tantum abfuisse, ut ad perniciem eius

*Vid. Paul. l. 5. sent. c. 21.*
*lib. 3. c. 22.*
*lib. 12. c. 22.*
*lib. 16. c. 14.*
*lib. 16. c. 31.*
*In vitâ eius c. 14.*

eius compelleretur, ut insuper Consulem fecerit, spondens quandoque beneficii memorem futurum. At eumdem ob hanc ipsam caussam filius Domitianus interemit postea, ut idem scribit: *Metium, inquit, Pomposianum Domitianus interemit, quod habere Imperatoriam Genesim vulgò ferebatur, & quod depictum orbem terræ in membranas, concionesque Regum ac Ducum ê Tito Livio circumferret, quodq; servis nomina Magonis & Annibalis indidisset.* Ubi nota caussas cœdis ridiculas & verè Tyrannidem redolentes. Severus Imperator verè nominis sui vir, verè Pertinax, verè Severus, ut loquitur vitæ eiusdem scribtor Ælius Spartianus, multos, quasi Chaldæos aut vates de suâ salute consuluissent, occidit, credo in sui ultionem: nam in Siciliâ, quasi de imperio vel vates vel Chaldæos consuluisset, reus factus, apud Præfectos Prætorio, quibus audiendus datus fuerat, jam Commodo in odium veniente, absolutus est, calumniatore in crucem acto. Apud Ammianum Marcellinum de Valente Imp. scribitur. *In chartis cuiusdam municipis clari genitura cuiusdam Valentis inventa est, repellensq; calumnias is, cuius intererat, cum objectaretur ei, quamobrem constellationem Principis collegisset, fra-*

*In eius vita.* (beside "Severus Imperator …")
*lib. 29.* (beside "crucem acto. Apud Ammianum Mar-")

*trem suum fuisse Valentem, dudumq; obiisse documentorum plena fide monstrare pollicitus, inexspectato veritatis indicio laniatus, lacer trucidatus est.* Caussas autem huius severitatis dixi initio fuisse graves. Pulsabant videlicet hæ consultationes propemodû majestatem, ut ait Lex, &, ut Tertullianus eleganter inquit: Cui opus perscrutari super Cæsaris salute, nisi â quo aliquid adversus ipsum cogitatur vel optatur, aut post illam speratur aut sustinetur. Non enim eâ mente de caris consulitur, quâ de Dominis, aliter curiosa est sollicitudo sanguinis, aliter servitutis. Exemplo sint Lentulus apud Sallustium, Telephus ap. Suetonium, Clodius item Albinus & Pescennius Niger, quorum item mentionẽ facit Tertullian⁹ ex Iulio Capitolino, & alii innumeri passim apud Historicos. Vel Libonis Drusi exemplum mihi vide apud Tacitum, ê Scriboniorum familia, quomodo juvenem improvidum & facilem inanibus Firmius Catus Senator, expressus Afranl Simulans ad Chaldæorũ promissa, Magorũ sacra, somniorũ etiam interpretes impulit, dũ Proavum Pompeium, amitam Scriboniam, quæ quondam Augusti Conjunx fuerat, consobrinos Cæsares, plenam imaginibus domũ ostentat, denique eò rem devolvit, uti Iu-

*lib. 7. Cod. de Mal.*

*Apologetici c. 35.*

*c. 48. Catil. in Aug. c 19. lib. ad Scapulam Præsidem Carthagin.*

nius

nius quidam tentaretur, ut infernas umbras carminibus eliceret, quæ res ei exitio fuit, quod ipse præoccupavit, ne inimici arbitrio mori cogeretur, monente Scriboniâ, ne alienũ negotiũ ageret, quam vocem & laudat & interpretatur eruditè Seneca. Non igitur sine caussa Iulius Firmicus Mathematicum his verbis monet : *Cave, ne quando de statu Reip. vel de vitâ Romani Imperatoris aliquid interroganti respondeas. Non enim oportet, aut licet, ut de statu Reip. aliquid nefariâ curiositate dicamus. Sed & sceleratus & omni animadversione dignus est, si quis interrogatus de fato dixerit Imperatoris, quia nec dicere poteris aliquid de eo, nec invenire. Scire enim te convenit, quod & aruspices, quotiescumq; â privatis interrogati de statu Imp. fuerint, & quærenti respondere voluerint, exta semper, quæ ad hoc fuerint destinata, ac venarũ ordines involutâ confusione conturbent. Sed nec aliquis Mathematicus verũ aliquid de fato Imperatoris definire potuit. Solus enim Imperator stellarũ non subiacet cursibus, & solus est in cuius fato stellæ decernendi non habeant potestatem. Cum enim sit totius Orbis Dominus, fatũ eius Dei summi judicio gubernatur : & quia totius Orbis terrarũ spatiũ Imperatoris subjacet potestatibus, ideo etiam ipse in Deorum numero constitutus est, quem ad facienda omnia & conservanda divinitas statuit principalis.*

Ep. 70.

*Hæc*

*Hæc ratio & aruspices turbat: quodcumq; enim ab ipsis invocatum fuerit numinum, quia minoris est potestatis, majoris potestatis, quæ est in Imperatore, non poterit explicare substantiam. Cui enim omnia ingenia, omnes ordines, omnes honores, omnes serviunt potestates, divini numinis & immortalis sortitus licentiæ potestatem, in principalibus DEORUM ordinibus collocatur. Quare, quicumq; aliquid de Imperatore quæsierit, nolo, ut eum truci ac severâ responsione conturbes: sed ei docili sermone persuade, quod nullus possit de vitâ Imperatoris invenire, ut persuasionibus tuis motus, istum furorem temeritatis correcto errore deponat.* Hactenus Firmicus, & cordatè & verè monuit: Principes enim, ut à DEO sunt quales quales, ita sunt in eiusdem custodiâ. Ex illo dicti Homero Διογενεῖς Iove editi & Διοτρεφέες Iovis alumni. Et Callimachus ἐκ Διὸς Βασιλῆας dixit, & in eam rem pulchrè Tertullianus: *Inde est Imperator, unde Homo, antequam Imperator: inde potestas illi, unde & spiritus.* Quod quidem adeò verum est, ut negari non debeat: malos quoque Principes ab eodem esse. Scribit Cedrenus, quendam ex religiosis, Phoca imperante, DEUM ad disceptationem provocare ausum, questumque, cur tam impium Christianis imposuisset Imperatorem: mox audivisse

*Apologetici c. 30.*

divisse vocem, Deteriorem alium inveniri potuisse nullum, at hoc meruisse Constantinopolitanorum vitia. Animadvertit hoc Cerealis apud Tacitum in facundâ & sapienti Oratione ad Treveros ac Lingonas: monens quomodo sterilitatem aut nimios imbres & cœtera naturæ mala, ita vitia & sævitiam Dominantium tolerari debere: *Vitia*, inquit, *erunt*, *donec homines*, *sed neq; hæc continua & meliorum quandoq; interventu pensantur*. Vt igitur Principes omnes â DEO sunt, ita in eius quoque peculiari custodia sunt. Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur, ut is quoque DEO carior sit, in quem Rempublicam & salutem universorum convertit, ut leviter accommodem præsenti negotio Senecæ verba: Doceri id potest infinitis exemplis, & fecere hoc ante me alii: duo huic loco sufficiant. Alfonso Arrogonum Regi illi nobili & literarum Præsidi unico miserat aliquando Cosmus Medices Florentinus T. Livii Historici Patavini libros, quos cum Medici attrectare Regem prohiberent, metu veneni â Cosmo submissi, ille, cogitabundus aliquandiu cum substitisset, tamdem arripuit pervolvitque adstantes autem composito ad gravitatem vultu his verbis compellavit: An igno-

*IV. Hist. c. 84.*

1. *de clem. c. 4.*

ignoratis Regũ animas non privatorum libidini subjectas esse, sed sub curâ DEI securas & lœtas agere, ut de eo retulit Æneas Sylvius. Carolus etiam V. Imp. Augustissimus, cum ad Landresium volitantibus passim hostiũ globis Mauricius Saxoniæ Princeps juvenis animosus confidentissimè nihilominus in campis apertis subinde vagaretur, advectus ad eum, monuit, ut cautior in talibus periculis esset: non enim omnes eam rationẽ, quam ipse teneret, divino tutus præsidio, inter ictus tormentorum sine periculo obversandi tenere. Quam eamdẽ divinæ custodiæ fiduciam etiam declaravit in castris ad Ingolstadiũ Bello Germanico, cum globi hostiles circa caput ei & per castra volarent, ipso ad omnia ista interrito sine vult⁹ etiam mutatione, increpante etiã suos, quod saluti suæ timerent, quos meminisse jubebat. *nullum umquam Imperatorem tali telo peremtum cecidisse.* At verò, ut subditis permissum non est fata sui Principis per artes illicitas scrutari: Ita ipsi quoq; Principes ab earũmdem artium exercitio & indigno tali scrutinio abstinere debent. Non


*lib. 57.* sine caussâ Tiberium exagitat Dio, quod multos indagato eorum nativitatis die ac horâ, indeq; mores & fortunam eorũ scrutatus, si quid adesse excellens, aut quod imperium

perium sperare juberet, depræhenderetur, protinus interficiebat: neq; enim hoc vel decebat vel expediebat: nam sic præstantissimorũ quorumq; virorũ vita in discrimen veniebat. Quod crimen imputat etiã Spartianus Severo. Nec de suis ipsius rebus, victoriis, eventibus, salute consulere debet quosvis, quod fecisse constat Alexandrum Magnum ex Plutarcho, quem scribit animi corporisq; ægrũ sacrificantibus, lustrantib⁹, divinantibus regiã implevisse, plenũq; ipsũ malis curisq; mortem dum fugeret accersivisse: Ludovicum etiã XI. Gallorũ Regem ex Philippo Cominio, quin & alios, in quibus magis notabile hoc vitiũ, quam in Alexandro, quod hi Christiani esse & dici voluerunt, quos sacræ tabulæ â vetitis his artibus prohibent & abducunt. Cassius olim Chaldæo cuidam vetanti, Persas ante bello lacessere, quam Luna Scorpii sidus evasisset: *non*, inquit, *scorpiones metuo, sed sagittarios*, cavillatus nugas artis fallacis: quod non sidera metueret, sed clade Romanarum terreretur Legionum, quæ Crasso Duce Parthorum sagittis fusæ ac prostratę fuerant: Quanto magis nos abhorrere decet ab istis ineptiis, qui impietatẽ præterea earũ cognitã habem⁹. Alexandrini olim ab Astrologis tributũ petebant, quod dicebant βλα-

Plutarchus in Crasso.

bant βλα-

βλακεννόμιον, quasi dicas stultorum vectigal, quod videlicet â stultis solum consulerentur Astrologi, genus hominum ut potentibus infidum, ita sperantibus fallax. A Principe verò nihil alienius stultitiæ aut vanitatis culpâ.



## CAPUT IIX.

### *Invidiæ quandoq; occurrendum.*

POstquam Polybius scribtor gravissimus cladem M. Attilii Reguli & Victoriam Carthaginiensium graphicè describsit, & hanc peritiæ Xantippi Lacedæmonii rescribsit : addito Epiphonemate gravissimo ex Euripide depromto : Mentem unam Sapientem plurium vincere manus: ita subnectit: Ξάνθιππος δὲ τηλικαύτην ἐπίδοσιν καὶ ῥοπὴν ποιήσας τοῖς Καρχηδονίων πράγμασι, μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἀπέπλευσε πάλιν, φρονίμως καὶ συνετῶς βουλευσάμενος. Αἱ γὰρ ἐπιφανεῖς καὶ παράδοξοι πράξεις βαρεῖς μὲν τοὺς φθόνους, ὀξείας δὲ τὰς διαβολὰς γεννῶσιν, ἃς οἱ μὲν ἐγχώριοι διά τε τὰς συγγενείας

Lib. 1. Hist.

καὶ τὸ τῶν φίλων πλῆθος, ὅσοις ἂν εἶεν φέρειν: οἱ δὲ ξένοι ταχέως ἐφ᾽ ἑκατέρων τούτων ἡττῶνται καὶ κινδυνεύουσι. *Xanthippus verò, qui rebus Carthaginiensium ad nova incrementa tantum momentum attulerat: non multò pòst inde est profectus: prudenter sanè ac sapienter: Illustres enim atq; admirandæ actiones graves invidias & acres calumnias conflare solent: quibus cives fortasse, cognatorum amicorumq; opibus nixi fuerint pares: at peregrinis utraq; res in exitium facile vertit.* Quibus verbis insigne subest monitum Politicum Viris magnis inprimis observandum, uti nimirum cum virtuti suæ invideri vident, invidiæq; se impares esse animadvertunt, tempori cedant & eorum conspectui, quibus oculi dolent, se ad tempus subducant, donec cum æternâ sui nominis gloriâ revocentur, aut, si id non fiat, voluptate ex conscientiâ rerum gestarum captâ sine parte ullâ periculi perfruantur. Quod hunc Xanthippum fecisse φρονίμως ait καὶ συνετῶς. Huius Exemplum imitatus est Chabrias Atheniensis, qui cum præclarissimè de patriâ se meritum videret, lautè etiam viveret & sibi liberalius indulgeret, videret verò invidiam gloriæ comitem esse omnisque eminentioris fortunæ, altissimisque adhærere, non libenter erat ante oculos civium suorum, sed

quo ad licebat plurimùm Athenis aberat, tantum se ab invidiâ putans abfuturum, quantum â conspectu suorum recessisset. Est enim hoc commune vitium, in magnis liberisq; civitatibus, ut Invidia optimi laborent & benè de repub. meriti: caussâ duplici: Prior est metus immutandi status: Quod si enim unus aliquis emineat supra alios, in eam populus cogitationem devenit, quasi tentet imperiũ, itaq; & lubenter ei detrahit & exitiũ tamdem eius molitur. Atq; hinc natus est Ostracismus, de quo multa Philosoph' in Politicis. Posterior est caussa Invidia melioris fortunæ: cũ enim vitæ quidã splendor ad auctoritatẽ Virorũ magnorũ penè videatur esse necessari': non æquo animo paupes alienã opulentiũ & splendidorũ intuentur fortunã: unde ad injurias pronus ac facilis labsus. His de caussis Chabrias subduxit se & fortunã suam invidiæ, quantum licuit & rectè. Exemplo præterea multorũ id egit Principũ Cononis inprimis civis sui, qui plurimũ Cypri vixit, Iphicratis item qui in Thraciâ, Timothei qui Lesbi & aliorum, quos enumerat Cornelius Nepos, Alcibiades idem fecit & voluntariũ subiit exsilium & se Peryntum contulit. Eadem fortuna manet viros magnos in Regnis & Principatibus, itaque subducere se in tempore sciant

*Vid. Dec. 8. c. 9.*

*l. 3. c. 9. & lib. 5. c. 7.*

sciant

ſciant Invidiæ Principis & exitio ſuo: Nam ut ſupra quoq; monui: Principes non poſſunt ſine animi ægritudine alicui nimis eſſe obſtricti, itaq; tamdem odio habentur nec ferri poſſunt, conſtituuntur enim Principes viris his magnis debitores, quib' merita redhoſtire debeant & adſpiciuntur illi velut exprobrantes ingrati animi crimen: Suſpecti etiã ſemper tales Principibus, ne altiora ſapiant & animo plusq̃ civilia agitent, quâ de re jam ſupra quoq; monuim'. *Decad. 3. c. 9.* Quia porrò Opes etiam invidioſæ eſſe ſolent, magnâ cautione opus eſt, ut hic quoq; occurram' maturè, ne ſicut ſpongiis humorẽ exprimimus, ita Opes nobis cum ſanguine quoque exprimantur. Sapuit hic ſibi præclarè Seneca, & ſapuiſſet cum effectu, niſi cum Tyranno ei res fuiſſet; & Virtuti quoq; ſuæ, non opibus tantũ inimico: Is enim cum premi ſe videret adverſariorũ apud Neronẽ vocibus: tamq̃ ingentes & privatũ modum evectas *Tacitus l. 14. Annal.* opes adhuc augeret, quodq; ſtudia civium in ſe verteret, hortorũ quoq; amœnitate & villarũ magnificentiâ quaſi Principẽ ſupergrederetur, & quæ alia addebantur, tempus ſermoni â Cæſare orat, & accepto, ita inquit *Quartus decimus annus eſt Cæſar, ex quo ſpei tuæ admotus ſum, octavus ut imperium obtines. Medio temporis tantum honorum atq; opum in-*

*me cumulasti, ut nihil felicitati meæ desit, nisi moderatio eius. Tu, quod juventutis tuæ rudimentis affui, quod studia eidem adhibui, gratiam immensam, pecuniam innumeram dedisti: jam uterq; mensuram implevimus, & tu quantum Princeps tribuere amico posset, & ego, quantum amicus â Principe accipere. Cœtera invidiam augent, quæ quidem, ut omnia mortalia, infra tuam Magnitudinem jacet, sed mihi incumbit, mihi subveniendum est. Quomodo in militiâ aut viâ fessus adminiculum orarem: ita in hoc itinere vitæ senex & levissimis quoq; curis impar, cum opes meas sustinere ultrâ non possim, præsidium peto. Iube eas per tuos procuratores administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis, quorum fulgore perstringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum revocabo.* Hanc Senecæ orationem Nero non minus eleganti sed fallacium blanditiarum plenâ excepit, nihil tamen â feritate sua discessit, quam paullò post expertus est. Sed nec in recentiori Historia desunt huius rei Exempla: Inprimis nobile in Historia Florentinâ est. Iohannes Delabella genere nobilissimus, libertatis etiam patriæque amantissimus, qui cum legibus latis plebi contra nobilitatem & quieti publicæ consuluisset, indignan-

*Macchiavell. Hist. Flor. l. 2. p. 73.*

dignantibus propterea nobilibus & contra plebem insurgentibus, cum utrinque invidiâ se laborare atque aggravari videret, illâ quidem â parte, quod legem tulisset, alterâ quod minus acriter contra nobiles eam defenderet, maluit invidiæ cedere, atque cives suos metu illo, quem de se frustra conceperant, liberare, eamque urbem relinquere, quam tanto cum labore & periculo â potentiorum injuriis atque servitute vindicaverat, voluntarioque exilio se Florentiâ subduxit. Franciscus quoque Ximenius Archiepiscopus Toletanus, cum suas opes & splendorem ædificiorum structurarumq; magnificentissimarum in oculos Ferdinandi Regis & aliorum cum invidiâ illabi videret, ad levandam hanc suis sumtibus exercitum conduxit & duce Petro Navarro in Africam misit, qui Oranum captum Ferdinando in manus resignavit. Hanc unam etiam caussam fuisse puto ex aliis pluribus, cur Fortissimus & prudentissimus Imperator Polonorum Iohannes Zamoscius, vir in tantum laudandus, in quantum virtus & doctrina intelligi potest, testamento legaverit Patriæ magnam in casus ejusdem necessarios pecuniæ summam, ne unicum hæredem, ejusq; illustrem adulescentiam propter immensas â se congestas opes invi-

diæ gentis objiceret, maioribus pro patriâ facinoribus reservandũ. Invidiæ enim non quivis par esse potest, sed is demum, cui dotes istæ sunt, quas commemorat Philostratus: Παρρησία videlicet καὶ τὸ ἀληθεύειν, ἐκπλήττεσθαι δὲ ὑπὸ μηδενός. *Libertas loquendi & vera prædicandi, constantia etiam invicta, qua nullo subcumbat terrori*, qualis olim in
Decad.3.c.7. Epaminonda fuit de quo nos s. & in hoc penè amplius Heroe, de quo nobis sermo, qui invidiam pedibus victor calcavit, & solâ oculorum stricturâ improbas vel cogitationes vel consilia pervertit: de filio puero vix idem sperare ausus, illustri quodam officio, tamquam novo vinculo Patriæ & civibus eum devincire voluit, uno opere & solliciti pro filio Patris & Optimi Patriæ Civis munia perfunctus. Discant hinc sapere, qui â re tenui Principum munificentiâ ad invidendas Opes provecti sunt, & splendore externo Principes ipsos supergredi non verentur, provocantes eâ ratione & proritantes populi voculas & Dominorum odia, quibus accedunt exitiosissimę ipsis suspiciones venditi Principis & arcanorum eiusdem: Præstabat autem longè, vel in secundiori fortunâ modum tenere, vel ad privatam vitam tamquam in portum ex procelloso mari confugere, Sed quos Exempla

non

non movent, inter alia Pallantis, quem Nero ideo sustulit, quod immensam pecuniam longâ senectâ detineret: eos nec monitum hoc nostrum auscultaturos verosimile est: Audiant verò Polybium cuius verbis penetrantibus caput hoc concludam. Δυοῖν, inquit, ὄντων τρόπων πᾶσιν ἀνθρώποις τῆς ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταθέσεως: τοῦ τε διὰ τῶν οἰκείων συμπτωμάτων, καὶ τοῦ διὰ τῶν ἀλλοτρίων. ἐναργέστερον μὲν εἶναι συμβαίνει τὸν διὰ τῶν οἰκείων περιπετειῶν, ἀβλαβέστερον δὲ τὸν διὰ τῶν ἀλλοτρίων. Διὸ τὸν μὲν οὐδέποθ' ἑκουσίως αἱρετέον: ἐπεὶ μετὰ μεγάλων πόνων καὶ κινδύνων ποιεῖ τὴν διόρθωσιν. τὸν δὲ ἀεὶ θηρευτέον, ἐπεὶ χωρὶς βλάβης ἔστι συνιδεῖν ἐν αὐτῷ τὸ βέλτιον. *Quum duæ universis mortalibus propositæ sint viæ ad proficiendum in melius, per proprios casus aut per alienos: evidentior quidem illa ratio est quæ per propria ducit infortunia, at tutior illa, quæ per aliena, itaq; viam priorem sponte suâ nemo unquam debet ingredi: Magnis enim eiusmodi correctio laboribus constat ac periculis: posterior semper nobis captanda: per quam sine ullâ noxâ id quod melius est cernere unicuiq; licet.*

Tac. 14. Annal.

lib. 1.

Hæc Polybius.

❦



# CAPVT IX.

*Nobiliores familias & præclarè de Rep. meritas sublevandas, nec opprimendas esse: minimè autem propter egestatem dignitatibus privandas.*

Ad Tacit. 2. Annal.

LAchrymas mihi excussit legenti Orationem M. Hortali Juvenis Nobilissimi ad Tiberium triste & inhumanum huius responsum, nepos ille erat Hortensi Oratorum Principis, quatuor filiorum pater sed in paupertate manifestâ, illectus â Divo Augusto liberalitate decies sestertiûm ducere uxorem & suscipere liberos ne clarissima familia exstingueretur: Inde quatuor ei, ut dixi, filii, res domi pertenuis. Senator tamen ipse. Igitur quatuor his ante limen curiæ adstantibus, loco sententiæ, cum in Palatio Senatus haberetur, modo Hortensi inter Oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens, ad hunc modum cepit. Patres conscribti: hos quorum numerum & pueritiam videtis, non spon-

ſponte ſuſtuli, ſed quia Princeps monebat, ſimul majores mei meruerant, ut poſteros haberent. Nam ego, qui non pecuniam, non ſtudia populi, neque eloquentiam gentile domus noſtræ bonum varietate temporum accipere vel parare potuiſſem, ſatis habebam, ſi tenues res meæ nec mihi pudori, nec cuiquam oneri forent. Iuſſus ab Imperatore uxorem duxi. En ſtirps & progenies tot Conſulum, tot Dictatorum, nec ad invidiam iſta: ſed conciliandæ miſericordiæ refero: Adſequentur florente te, Cæſar, quos dederis honores: interim Q. HortenſI pronepotes, Divi Auguſti alumnos ab inopiâ defende. Hæc Hortalus. Quid vero ad ea Tiberius? Si quantum pauperum eſt venire huc & liberis ſuis petere pecunias ceperint, ſinguli numquam exſatiabuntur, Reſp. deficiet. Eſt hoc perfringere ærarium, quod ſi ambitione exhauſerimus, per ſcelera ſupplendum erit. Paſſuſque adeò eſt Nobiliſſimam & antiquiſſimam HortensI domum ad pudendam inopiam dilabi immanis ille Tyrannus cum murmure totius Senatus melioris: nam quoſdam, quibus videlicet omnia Principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt, adſenſu iſtas Tiberii diritates accepiſſe mirum non eſt. Merito autem factum

hoc exsecratur Historicus ut immane & Tiberio hoc est Tyranno crudelissimo dignum: Interest enim Reip. nobiles familias conservari & ab interitu vindicari, tum ut sint qui rebus præsint cum dignitate, tum qui valere apud gratos civeis debet clarorum hominum & benè de Rep. meritorum memoria etiam mortuorum, ut ait latinæ facundiæ parens Cicero. Priorem caussam Aristoteles notavit & illustravit exemplo Ephororum apud Lacedæmonios, qui cum ex plebe crearentur, summam imperii potestatem quâ pollebant, quia tueri aut exercere nescirent, civitatem perdiderunt. Posterior necessaria est, ut incendantur alii quoque ad præclaras res item pro patriâ gerendas suorum securi, quos nisi æstimari â Republicâ post mortem suam confiderent, difficulter pericula adirent, sibi potius quisq; & suis viveret, publicorum commodorũ incuriosus. Est & tertia caussa, quam docuit me Nicolaus Macchiavellus, de quo viro multorum judicia, quæ & qualia sint, & scio & æstimo, sed hic mihi probus ille & rectus judex: *Oppressa*, inquit, *nobilitate Virtus opprimitur Bellica*, id quod experta est Florentia nostra. Oppressa enim anno Salutis M CCC XLIII nobilitate, factum est, ut Urbs non solum armis sed & virtute bellicâ pror-

*pro P. Sestio,*

*Hist. Flor. lib. 2.*

prorsus destitueretur: Arma enim sunt studia nobilitatis propter indolem generosam quæ ad ardua nititur & vulgaria spernit. Unde hæc ipsa semper Religionis propugnatrix habita & Libertatis, quod & mos antiquus ostendit, quo Nobiles in templis, cum legeretur Evangelium, strictis adstare solebant gladiis, ut testarentur, se paratos fidem Christianam, si necesse sit, armis propugnare & sanguine etiam suo obsignare, quem morem in Poloniam introductum circa annū Sal. DCCCCXVII scribit Martinus Cromerus. Improbè igitur fecit hîc Tiberius, rectè, cum paupertati Æmilii Lepidi & M. Servilii subvenit, quorum illi Æmiliæ Musæ, at Patulei divitis Equitis hæreditatē isti tradidit, nobilitatem utriusq; pecuniâ juvandam præfatus, quâ liberalitate etiam Vellei Paterculi meretur encomium, proni suâpte in laudes eius: *Populum*, inquit, *quoties congiariis honoravit? senatorumq; censum, cum id Senatu auctore facere potuit, quam libenter explevit? ut neq; luxuriā invitaret, neq; honestam paupertatem pateretur dignitate destitui.* Potest huic Nobilitati quoque attenuatæ succurri datis magistratibus & provinciarum administrationibus, quomodò accidit Gn. Lentulo contra Getulos Consuli, de quibus & triumphum duxit: de

*l. 3. Rerum Polonicarū.*
*Tacit. 2. Annal.*

4. Annal. de eo Tacitus: *Lentulo gloriæ fuit benè tolerata paupertas: dein* (bello Getulico) *magnæ opes innocenter partæ & modestè habitæ.* Si sit metus expilationis sub specie imperii; Romanorum institutum usurpetur, & cum honoribus aut dignitatibus sumtus quoq; decernantur. Sic Adrianus â Trajano apud Spartianum sestertiûm vicies ad ludos edendos accepit. Estque in hanc rem elegans Epistola Valeriani ad Aurelianum: Consulatum, scribit, cum eodem Vlpio Crinito in annum sequentem â die undecimo Calend. Iuniarum in locum Gallieni & Valeriani sperare te convenit sumtu publico. *Levanda est enim paupertas eorum hominum, qui diu Reip. viventes, pauperes sunt, & nullorum magis.* Altera item Epistola ad Ælium Xifidium Præfectum ærarii: Aureliano cui Consulatum detulimus ob paupertatem, qua ille magnus est, cæteris major dabis ad editionem &c. Idem obtigit, sub Iuliano, Mamertino: unde ille in Panegyrico: Quid, quod nihil speranti mihi de honoris augmento perfertur nuncius, Consulem me creatum sine impendio, quod jam diu paucis; sine labore, quod nonnumquam; sine petitione, quod nemini. Adrianus etiam, memor eius, quod ipsi â Trajano obtigerat, idem Cejonio Com-

*Flavius Vopiscus in Aureliano.*

*Spartianus in Adriano.*

Commodo vero præstitit, honoravit enim eum Præturâ ac statim Pannoniis imposuit, decreto Consulatu cum sumtibus. M. Antoninus denique Proculum usque ad Proconsulatum provexit, oneribus in se receptis. Ante autem hos omnes Nero quoq; Senatoribus in re tenui constitutis añua salaria constituit & quibusdam quingena, ut auctor est Suetonius in eius vitâ. Inter hos & Valerii Messalæ nobili familiæ honorem habuit, consulis renunciati, & Collegæ sui in tertio Consulatu A. V. C. DCCCXI, oblatis in singulos annos quingenis sestertiis, quibus paupertatem innoxiam sustentaret, ut narrat Tacitus. Atque hoc rectè Nero, non item, quod Aurelio quoque Cottæ & Haterio Antonino annuam pecuniam statuit, quamvis per luxum avitas opes dissipassent: Nam languescet industria sic, intendetur secordia, si nullus ex se metus aut spes & securi omnes aliena subsidia exspectabunt, sibi ignavi aliis graves. Rectius Alexander Severus, qui pauperes juvit, honoratos, quos pauperes verè non per luxuriam aut simulationem vidit, hos multis semper commodis auxit agris, servis, animalibus, gregibus, ferramentis, rusticis. Vt de eo scribtum reliquit Ælius Lampridius. Potest tertio loco succurri

*Iulius Capitolinus.*

*c. 10.*

*l. 13. Annal.*

Nobi-

Nobilitati matrimoniis, quod in Italiâ frequens esse testatur Scipio Admiratus & exemplis confirmat, nec desunt in nostrâ quoque Germaniâ, in quâ tamen frequentiora sunt duo, Militia & Religionis professio. Episcopatus enim & omnia Ecclesiastica munia sunt remedia fovendæ & conservandæ Nobilitatis, & serviunt secundogenitis, qui excluduntur ab hæreditate paternâ & administratione rerum per primogenitos. Vnde & consuetudine invaluit apud nos, quæ in legem penè abiit, ut primogenitus succedat Patri in bonis, secundogenitus fiat Clericus, tertius & qui sequuntur militent. Valeant ergo qui Principum animis instillant, nobilitatem premendam esse, ne rebus studeat novis: secus se res habet, ornamento Principatui & imperiis est nobilitas, haud aliter quam Lunæ, stellarum illæ circumludentes choreæ, & nihil auctoritati Principis augendæ facit magis, quam nobilium Virorum circumdari corona, in quibus & Generis & Virtutis antiquitas & prærogativa relucet.

*l. 17. Discurs. ad Tacit. disc. 6.*



## CAPVT X.

*Non omnia ultimo supplicio & morte à Principe vindicanda esse.*

Vt

VT Medico multa funera, ita Principi multa supplicia & invidiosa sunt & periculosa. Est enim angusti animi, ad quævis delicta carnifices statim advocare, hastã ubiq; & gladios in promtu habere, ungulas item & rotas & alia talia. Quædam enim contemnenda sunt potius, præsertim ab infimæ sortis aut conditionis hominibus designata, qui infra iram Principis esse debent & animadversionem, vel levius punienda aut condonanda quandoque prorsus personis honoratioribus, eorumq; voluntas officiis & humanitate immutanda. De hoc verò posteriori alias dicendi locus erit, nunc sufficiat id afferre, quod in Divo Aureliano Flavius Vopiscus notat: Incivilius deniq; usus imperio, vir alias optimus, seditionum autoribus interemtis, cruentius ea, quæ fuerant mollius curanda compescuit: Interfecti enim sunt nonnulli etiã nobiles Senatores, quum his leve quiddam & quod contemni â mitiore Principe potuisset, vel unus, vel levis, vel vilis testis objiceret. Itaque bonum quidem illum medicum sed malâ ratione curantem dicebant. Prioris verò Exempla multa comparent in Historiis. Atq; de hoc ipso Aureliano unũ narrat Zosimus: Antiochũ, inquit, qui purpurã sumserat, quod crimen læsæ maje-

*Seneca 1. de Clem.*

*lib. 1.*

majestatis fuisse nemo ignorat, propter conditionis humilitatem, ne supplicio quidem dignum arbitratus dimisit. De Nerone Philostratus scribit, noluisse eum Apollonium occidere, ubi mortem illum affectare sensit, & addit: καὶ οὐ κατὰ ξυγγνώμην ἐπανῆκεν αὐτῷ τὸν θάνατον, ἀλλὰ καθ᾽ ὑπεροψίαν τοῦ κτεῖναι. Καὶ μὴν καὶ Μουσώνιον τὸν Τυῤῥηνὸν, πολλὰ τῇ ἀρχῇ ἐναντιωθέντα τῇ νήσῳ ξυνέσχεν, ᾗ ὄνομα τυάρα: *non veniæ gratia remisit ei mortem, sed despiciens illum non est dignatus occidere: sicut & Musonium Tyrrhenum multis in rebus imperio suo adversatum in Insulam relegavit, nomine Tyaram, nec illum supplicio afficiens.* Idem Nero, cum Vitellium metuendum & proinde tollendum, ei suaderent amici, risit hominem contemsitque, ut nihil gravius in eum statuere vellet, erat enim Vitellius homo voluptatibus diffluens & prorsus mollis, quod ex hac Philostrati describtione pronum erit cognoscere. Βιτέλλιος, inquit, μύρῳ μὲν λοῦται πλεῖον, ἢ ἐγὼ ὕδατι: δοκεῖ δέ μοι καὶ ξίφει πληγεὶς, μύρον ἐκδύσειν μᾶλλον ἢ αἷμα, οἴνῳ δὲ οἶνον ξυνάπτων, μαίνεται καὶ κυβέσει μὲν δεδιὼς μή τι αὐτὸν οἱ πεττοὶ σφήλωσιν. *Vitellius in se lavando plus unguenti quam aquæ consumit, ut videatur mihi gladio percussus unguentum potius quam sanguinem emissurus.*

l. 7. c. 8. de vitâ Apolloni.

*rus.* *Præterea vino vinum superfundens furit: tesseris insuper ludere numquam cessat, semper timens ne jactus talorum ipsum fallat.* Merito igitur contemsit hominem tam effœminatum Nero, nec supplicio afficere voluit. Fecit id & Caligula, monstrum Principis, *Dio l. 59.* qui alias omnes â calvo ad calvum occidi jubebat: Forte enim quadam accidit, ut Gallus quidam eum pro excelso tribunali sub specie Iovis jus dantem videret, ac viso effusè rideret: Quod cum Imperator animadvertisset, vocatum ad se interrogavit, cur risisset? Respondit is satis confidenter: magnam sibi dementiam eius visam, ideoq; risum continere non potuisse. Sed ei quod sutor esset & risus & liberum atq; aculeatum responsum sine damno aut periculo fuit. Adeò, inquit Dio, Principes huiusmodi æquiore animo ferre solent plebeios homines â quibus propter vilitatem nullus metus, liberius loquentes, quam viros magnos & dignitate præditos. Potest hoc Augusti quoque testimonio confirmari, de quo Suetonius: *Iunium Novatum & Cassium Patavinum ê plebe homines alterum pecuniâ, alterum levi exsilio punire satis habuit, cum ille Agrippæ Iuvenis nomine asperrimā de se Epistolam in vulgus edidisset hic convivio pleno proclamasset: neq; votum sibi neq; animum* *c. 51.*

*desire confodiendi eum. Satis esse ad Tiberiũ scribens si hoc habeat, ne quis ei malefacere possit. Qui idem cognitione quadam cum Æmilio Æliano Cordubensi inter cœtera crimina vel maximè objiceretur, quod male opinari de Cæsare soleret, conversus ad accusatorem: commotoq; similis: Velim, inquit, hoc mihi probes: faciam, sciat Ælianus, & me linguam habere, plura enim de eo loquar, contemtum eius non obscurè præferens.* Generosa quoq; in hanc rem vox est I. T. FL. Vespasiani ad Demetrium Cynicum, qui cum non solum nec assurgeret ei neque salutare dignaretur, non quiesceret etiam contra statũ imperii & personam Cæsaris loqui: *Tu quidem,* inquit, *nihil prætermittis, ut ego te interfici jubeam, ego tamen canem latrantem non occido,*
c. 13. l. 66. ut auctores sunt Suetonius & Dio. Rectè tu Vespasiane, nam canes huiusmodi latrare solum norunt, mordere nesciunt, & præstat rabiei suæ tales permitti, quam vindicando iram eis ostendere, quasi impresserint genuinum, non fregerint. Quos ad extremum tribunal internum animi convincet, & pœnam ab iis reposcet omni supplicio graviorem. Vidit hoc & intellexit Constantius Imperator apud Ammianum Marcellinum, cui cum Amphilochius quidam deferretur, ut per-
duellis

duellis & obstinatus, quiq; indignus esset lucem ulterius intueri: Desinite, ait, urgere hominem, ut existimo sontem, sed nondũ apertè convictum: & mementote, quod si quid admisit huiusmodi, sub obtutibus meis conscientiæ ipsius sententiâ punietur, quam latere non poterit. Itaq; divinè prorsus & suprà sexus sui conditionẽ Livia olim ad Augustum. *Viden' ut medici rarissimè sectiones & ignes adhibeant, ne vitia corporis magis exasperent: pleraq; lenibus corporis exercitiis & mitibus medicamentis molliunt ac sanant eãdem rationẽ percurandi animos sequere. Audaces inquietos ac sinistri consilii homines immedicabilesq; & continuæ malitiæ adsuetos exscindere te jubeo ad exemplũ earũ corporis partiũ, quæ medicinam non patiuntur: reliquos qui propter ætatem, imperitiam; imprudentiam, aliove casu quodam sive volentes sive inviti peccant, verbis castigare, minis corrigere aliâve tolerabili ratione te tractare velim*: Is quoque qui Oraculi testimonio & totius Græciæ consensu sapiens est declaratus, in Triginta Atheniensium Tyrannos, qui & ipsi cives multos indemnatos necaverant & amicis suis parem licentiam contra fas indulserant, eleganti Oratione invectus est: *Parum*, inquit, *probus bubulcus habeatur, qui concreditos suæ curæ boves indies pauciores faciat*

Dio l. 55.

*& peiores: & quomodo Princeps bonus, qui populum quotidiè minorem & deteriorem.* Itaq; rectè fecerit Princeps, si & quædam contemnat, & quædam etiam transmittat, vindicanda cœteroqui, nec accuratius pervestigando voluptatem ex suppliciis capere videri possit, quod immane est & vapulat talis â Poeta Optimo omni jure.

*Qui fruitur pœnâ ferus est, Legumq; vide-*
*Vindictam præstare sibi, cum viscera felle (tur*
*Canduerint: ardet stimulis, ferturq; nocendi*
*Prodigus ignarus caussæ.*

Non igitur sine caussâ laudat Julianum Imperatorem Ammianus Marcellinus: quod cum duo Agentes in rebus ex his, qui projecti erant, eum adiissent, promittentes latebras monstrare Florenti, si eis gradus militiæ redderetur: eos incessens delatoresq; appellans responderit: *non esse Imperatorium obliquis flecti indiciis, ad retrahendum hominem mortis metu absconditum.* Quod hodieq; Principibus inculcari operæ foret pretium.

*FINIS DECADIS*
*XII.*



# INDEX RERUM MEMORABILIUM.

## Numerus prior Decadem, posterior Caput notat.

B.




*Benè*

Manda-

Para-

Pro-




Decades sex
Piccarti
Obseruat